

9



R
71

34029

14
5.

7.460

34029

Ex Libris DE Recollectorum
ATRA BILE

QVOAD MORES


ATTINET.

Conventus Parisiensis
LIBRI TRES.

**SCIPIONIS CLARAMONTII
 CESENATIS,**

Ad clarissimum virum,

GABRIELEM NAVD EYM
 Parisinum.



PARISIIS,

Apud Nicolaum & Ioannem de la Coste, in monte
 S. Hilarij, ad signum Scuti Britanniae, & in
 vico dicto primi Praesidis, iuxta
 paruam portam.

M. DC. XXXXI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870



GABRIELI
NAVDÆO,
DOCTISSIMO ET
AMICISSIMO VIRO,
SCIPIO CLARAMONTIVS.

Cesenas. S. P. D..




*L*agitatum toties à
te Libellum de Atra
Bile quoad mores,
meum, mitto tandem Cla-
rissime Naudæe. Prohibuit

autem me à celeriori missio-
ne, non tarda tibi obsequen-
di voluntas, sed magna A-
manuensium penuria, dum
plures hic, ad rem suam
spectantia scribunt, quàm
aliena exscribunt. Delites-
cebat hic, in scriptorum
meorum (quæ varia &
multiplicia sunt) congerie;
neque illum tantifaciebam,
ut in hoc meo secessu, de eo,
præsertim typis committen-
do, magnoperè laborarem:
Et certè, nisi Tu, pro inna-
tâ tuâ in Rem Literariam

propensione, secus de eo iudicasses, magnique argumentum omne, quod de Moribus esset, & illud precipue, quod de eorundem causa tractaret, faciendum esse mihi persuasisses, obrutus adhuc domestico pulvere, latet in Museo meo, prestolareturque integram illam de Morali Disciplinâ tractationem, cuius me, in opere de coniectandis Animi Moribus, spem certam fecisse, non est quòd ire possim inficias. Caterum, miraberis

forsan , hunc librum , qui
in feruore annorum meo-
rum ortus est , totum , spira-
re pacem ; & qui in mitiori
etate facti sunt Libri , om-
nes ferè cum Tichone , &
Kepplero , ac aliis præuali-
dis antagonistis , miscere
rixas. Sed occasionem excu-
sa , & amorem Veritatis.
Interim , hic , qui erga om-
nes est mitis , Tibi Viro , quie-
tis & otij liberalis aman-
tissimo , debet esse deuotus ,
Teque pro Parente colere ,
qui eum etiam si antea na-

tum, educis in Lucem vitæ:
Me fortè habebit tanquam
alterum Demeam, in Co-
mædiis seuum, furentem
& asperum. Verùm hæc sit
tua gloria, ne dum tuis
Operibus (quæ tot, & tam
preclara protulisti) dare
Lucem, sed etiam aliena
non pati in tenebris veri-
sari. Vale. 15. die Mensis
Ianuarij 1640.





DE
ATRA BILE
QVOAD MORES
ATTINET.
LIBER PRIMVS!

Caput primum Proœmium est.



ALENVS in libro peculiari ostendit, mores animi, corporis temperaturam sequi. Quod vt est absolutè falsum; ita, aliquatenus verum esse constat. Corporis enim tempera-

mentum, propensiones operandi gignit, affectusque animi concreat, ut ita dicam: & cum plerique à propensione, atque ab affectibus ducantur, hinc est, ut quisque, ferme ad sui temperamenti impulsus, vitam instituat. Sed id quoque verum est; Rationem, & mentem, affectibus animi præesse, atque imperare, si quis ita ab initio assuescat. Quamobrem diuersam quoque à propensione temperamenti, vitam, etiam reluctantis affectibus, Ratione duce, quiuis inire potest; quod de se fuit Socrates professus; qui ridentibus auditoribus, Physiognomi de ipso iudicium, respondit, verè dixisse Physiognomum: ita enim se fuisse à natura inclinatum, sed studio & assuetudine, reluctantes cupiditates superauisse. Quoniam verò corporea constitutio, etiam si non extorqueat assensum partis eligentis, oppugnat tamen, & nisi Ratio promptè occurrat, constanterque resistat, sæpe vincit; vtile est homini, ea quæ ad mores attinent pertractanti, corporales quoque constitutiones considerare, atque omni meliori mo-

do eas disponere, vt imperio Rationis sint obsequentes. Inter cæteros autem corporis humores, qui morum immutandorum magnam facultatem obtinent, præcipuus est Atra Bilis; hæc enim, in omnes, etiam contrarios mores compellit animum, pro diuersis contrariis, quarum est ipsa capax, dispositionibus. Hic itaque humor, quas morum varietates, & eas quo modo constitutus proferat, enarrabimus: deinceps, remedia ipsum præcauendi vel expurgandi indagabimus. Remedia verò ex Morali ipsa Philosophia petentur: nam quæ ad Medicinam spectant, nisi vltro occurrant, Medicis ipsis relinquemus.

C A P V T I I.

Summatim quæ Naturales dicant, præsupponit. Tractatus repetuntur.

QUID NAM sit Atra Bilis, ex naturali Philosophia est supponendum. Nos itaque hîc, definitionibus ibi traditis, pro principiis ute-

mur, ceu circuli definitione vtuntur Mathematici. Atra itaque Bilis, duplicem habet significationem; significat enim humorem naturalem frigidum, & siccum; qui tamen humor, ex antiquorū Medicorum consuetudine, potiùs Ater humor, quam Atra Bilis sit vocandus, ita referente Gal. 2. *de facultatibus natural. cap. ultimo*, qui antiquorū denominationi ad stipulari videtur *lib. de Atra Bile cap. 3.* Alia Atræ Bilis significatio est, cum humorem superassatum, atque adustum significat: tres enim humores (ex Gal.) adusti, in Atram Bilem transeunt: Melancholia naturalis; Flaua Bilis, & Sanguis. De Pituita, quam omisit Galenus, vtrum aduri possit, inque Atram Bilem transire, inter posteriores Medicos exorta est disputatio. Humores autem adusti, calorem adurentem retinent, cum nondum perfecta est adustio; cum verò absoluta fuerit, retinent adhuc semina, & reliquias caloris qui adussit, vt Aristoteles nos *in 4. meteor.* docet, cineris exemplo; licet forsan, si seorsum sumantur adusta, eorumque proprium

temperamentum consideretur, frigida, & sicca esse dici mereantur, ut quæ terream portionem repræsentent: (Sed hæc alium locum postulant.) Interim verò quantum ad præsens negotium facit, repetamus conditionem humorum adurendorum, ut Bilem Atram producant: idque in præsentia ponendum est, (aliàs forsan disputandum) humores, qui adusti in Atram Bilem transeunt, aliquam terrestris naturæ redundantiam habere debere; aliàs enim si sanguis, id est humor calidus, & humidus absque vlla terrestri portione vreretur, ignem tenuem, & purum non comburentem, & exedentem crearet; qualem Atra Bilis requirit, Galenus, *lib. de Atra Bile, cap. 3.* ignemque eiusmodi faceret, cuiusmodi tempora Ascanij coronasse, apud Virgilium legimus.

*Ecce leuis summo de vertice visus Iûli
Fundere lumē apex, tactûq; innoxia molles
Lambere flamma comas, & circum tempo-
ra pasci.*

2. *Æneid.*

Flava etiam Bilis, si absq; terrea materia esset adusta, flammam innocuam,

non Atram Bilem produceret. Licet enim sit humor calidissimus ; etiam aqua ardens ex vino extracta , quam aquam vitæ vocant , calidissima est atq; siccissima , & tamen eius flamma adeò est suauiſſima , vt nihil omnino lædat : ita quoq; de flaua Bile , ſi per ſe , ſolâ combinatione calidi , & ſicci fumeretur , vt omni terrea commixtione careret , dicendum eſſet. Oportet itaque , portionem terream , humoribus adurendis ineſſe , vt Atram Bilem faciant ; quæ portio neque nimia , ſummûmve craſſa debet eſſe : ita enim non incenderetur , ſed calorem opprimeret , & ſuffocaret : Neque etiam ſi omnino pauca , tenuiſque fuerit , aduritur quidem , ſed Bilem Atram non facit , ob cauſam explicatam : nam in aqua ardente , etiã aliquid terreï reperitur , cùm non ſit elementum purum , & inflammatur. Omnis verò flamma , eſt fumus ardens , & fumus , eſt ex aëre , & terra. Omne itaque inflammabile , vt terream aliquam portionem contineat , neceſſe eſt. Vnde concluditur , aquam ardentem , ſeu aquam vitæ , aliquid etiam terræ continere , tamen ob eius

tenuitatem, flammam omnino innocuam exhibere. Summa itaque eorum quæ hucusque disputata sunt, est; Qui Atram Bilem sunt producturi humores, terream portionem, non omnino crassam & copiosam; neque omnino tenuem; sed inter hæc extrema, pluribus gradibus constitutam continere: requirique portionem terream in omni humore, ex cuius adustione sit Atra Bilis proventura, Medici fateri coguntur: omnis siquidem humor adustus, ex quo Bilis Atra, incineratur (ita omnes dicunt.) At verò est ex portione terrea cinis.

C A P. III.

*Varietates Morum ex humore Bilis
Atræ numerantur, secundum
Aristotelis numerationem.
Sect. 30. Probl. 1.*

ARISTOTELES in trigesima Sectione Problematum, plures hominum mores enumerat ex hoc vno humore exorientes, qui si aliquo ordine enu-

merandi sint , ita describenda est enumeratio : Atra Bilis cum suapte naturâ calidissima fieri , & frigidissima nata sit ; cùm frigida est admodum , copiâque excellit , homines attonitos & stolidos , aut se torquentes & anxios & formidolosos facit : cùm caliditate vero & copiâ excedit , securitatem animi , & cantilenas parit , & propensos ad omnem excandescentiam , & cupiditatem reddit , mentisque alienationem facit , & vesaniæ morbos : homines enim , affecti instinctu lymphatico , inferuescunt : ex quo Sibyllæ , & Bacchæ , & omnes qui Diuino spiraculo instigati creduntur ; cùm scilicet id , non morbo , sed naturali intemperie accidit ; & aliqui , dum eo furore abalienantur , meliores poëtæ euadunt , vt de Marco Syracusano fertur. Quibus verò calor est , & ad mediocritatem remissus , atque copiâ quoque non est excedens ; ij longè prudentiores sunt , & multis in rebus sunt cæteris præstantiores : alij in Studiis Literarum , alij in Artibus , alij in Republica. Timor quoque & audacia , ab hac eadem oriuntur , pro variis

eius dispositionibus : nam si frigidior iusto sit, timidum reddit hominem ; si autem calidior, facit, audacem & confidentem : & hanc ob causam dicit Aristoteles, Archelaum Macedoniæ Regem, sibi maiorem in modum fîsum esse. Et tandem, cùm hic humor in caliditatem tendit, implet spe, & securitate : cùm verò in frigiditatem, contrà, timiditate, & anxietate, atque molestiâ imbuit : cumque non adhuc multum à medio recedit, facit homines intemperantes, sicut dicit Aristoteles eodem in *Problemate*, & lib. 7. *Ethicorum*, capite ultimo ; cuius verba adducere præstat, quoniam plurimum intentioni meæ subseruiunt. Dicit ergo in *Problem.* *Et Melancholici quoque magna ex parte libidine affluentius concitantur : concubitus enim, flatus copiâ agitur ;* Et 7. *Ethicor. cap. ultimo*, rem magis ex *Moralis Philosophiæ* principiis determinat ; verba itaque sunt. *Atra Bile verò affecti, naturâ semper medelâ indigent ; corpus enim eorum ex temperatura semper mordetur, semperque appetitu vehementi incitantur. Voluptas autem, & contraria, & quævis sit, modo sit vehemens, dolorem ex-*

Archelaus
Macedo,
fidentissi-
mus.

pellit; ac propterea intemperantes, & prani euadunt. Quod si frigiditas Atræ Bilis adhuc magis à medio, in frigiditatem profiscatur, anxietates spontaneæ adeò vehementes oboriuntur, vt manus interdum sibi afferant, & mortem laqueo consciscant. Est quoque melancholicorum genus circa mediocritatem versantium, vt interdum angantur, & animo succumbant; cur verò ita, nullam reddere causam possint: Alij contra, intimâ quadam lætitiâ, & animi securitate gestiant, quamobrem autem, neque ipsis constet.

Summa itaque est, ex Atra Bile, pro eius frigiditatis, & caliditatis gradibus, & pro eius copiâ, immutari partem Cognoscentem, intelligentemque. Vnde alij stolidi, & insipientes, alij prudentiâ, & artibus præclari; alij Sibyllæ, alij Bacchæ, secundum Aristotelem. Non enim Sibyllæ veræ, ex hac causa extiterunt. Immutatur quoque pars Appetens; primaque immutatio, est securitas animi, & confidentia; contrà verò, meticulositas, & molestiæ spontaneæ, atq; angentes animum: Ex securitate, atque con-

fidencia, nascitur Fortitudo naturalis, Liberalitasque: Liberales enim quadam confidentiâ ducuntur: Ex formidolositate autem, & angore animi, oritur timiditas, & ignauia, intemperantia quoque; nam vt angorem perpetuum expellant, vehementibus voluptatibus egent, quales sunt corporis voluptates. Nascitur & vicissitudo quædam lætitiæ, & molestiæ internæ; pro gradibus tamē frigiditatis atq; caliditatis Bilis: in quibus enim calidior, illis frequentiores sunt lætitiæ, rariores mœstitiæ: quibus frigidior est, contrâ. Qui tamen largiùs, tacitus, & solitarius, spontaneæ lætitiæ indulget, etiâ si calidior sit, temporis tamen tractu, in frigidiorum statum, atq; turbulentum angorem cadet: ratio aliàs exponetur: Interim tamen vsu id ego comperi in nobili Veronensi, florentis ætatis, sanguine redundante: Hic perpetuâ quadam lætitiâ gestiebat, qua plerumque taciturnus oblectabatur; tamen non multò pòst, domum reuersus (Patauij enim studiorum causa tunc commorabamur) audiui, ex melancholia mortuum esse.

Causa
morum
varicta-
tis.

Huius totuplicis morum varietatis causam, in Atram Bilem Aristoteles refert, varijs, caloris & frigoris gradibus constitutam: à frigiditate enim pendent affectus omnes, qui ad tristitiam & meticulositatem pertinent; à caliditate verò illi, qui ad securitatem, & lætitiã.

Hęc, quoad mores: Quoad constitutiones verò partis Intelligentis, & Cognoscentis; hęc ipsa, valde ab hoc humore immutatur, tum si frigiditate excedat, tum si calore. Dum caliditate incenditur, maniacos, Bacchides, & lymphaticos facit; cùm prope partem Intelligentem acceditur; id est secundum Aristotelem, in Corde; secundum Galenum, in Cerebro. Dum verò frigore exuberat, obstupescit homines, ideoque attonitos, & stupidos constituit. Dum in quadam mediocritate versatur, pro variis dispositionibus alios Prudentiæ, alios Scientiis, alios Artibus reddit aptos.

CAPVT IV.

Quæ ad eandem morum varietatem pertinent enumerantur ; adiectis ſc̄i quæ in præcedenti Capite omiſſa fuerant , & primò de differentia Tenuitatis.

ARiſtotelis in Problemate mox citato propoſitum non fuit, omnes varietates morum ex Atra Bile profiſcentium, enumerare, cauſasque exponere. Ipſe enim id vnum pro ſcopo habebat, rationem reddere, quamobrem qui ingenio claruerunt, vel in Philoſophia, vel in Republica gubernanda, vel in Poëſi, vel in Artibus exercendis, Melancholici fuerint: ideoque de morum varietate adiecit, non vt principale propoſitum proſequutus ſit, ſed vel ad doctrinæ abundantiam, vel ad faciliorem Problematis inueſtigationem propoſuit. Non ſit igitur mirum, ſi in cauſa reddenda morum varietatis, ſolùm humoris Caliditatem, atque Frigiditatem adduxit; non

autem Craffitiam, & Tenuitatē; Turbulentiam, atque Nitorem. Quas differentias, morum varietatis causas esse dixit deinceps idem Aristoteles *lib. 2. de part. animal. cap. 4.* Quare nos primis duabus, has alias differentias in praesentia adiungentes, consideremus fusius morum exortus, incrementa, & successiones. Si itaque Tenuis sit terrea portio, eatenus tamen, ut ex ipsa adusta; Bilis Atra generari possit, quemadmodum supra declarauimus; sunt magni ingenij, eâ affecti homines, & rerum cognoscendarum studio dediti; potissimumque si nitida eiusmodi portio sit: tum enim summam ad omnem contemplationem habilitatem obtinent: est enim eorum sanguis tenuis & mundus; cuiusmodi requiritur ad ingenij excellentiam. Aristoteles *lib. 2. de partibus animalium c. 4.* ubi agens de animalibus quorum sanguis frigidus, & tenuis est, dicit; *Quoniam etiam euenit, ut nonnulla ex iis animalibus quae talem obtinent sanguinem, sapientiora sint: verum non sanguinis frigiditate, sed potius tenuitate, atque munditia.* Subiungit verò rationem. Nam,

inquit, *habent sensum molliorem, quorum humor tenuior & sincerior est.* Quoad mores verò, sunt varij & inconstantes, propensione naturali, licet plerumque à rationis & opinionis auctoritate contineantur; vt in quibus, ob docilitatem, maximè vigeat admodumque instructa ratio sit. Sunt autem varij, quoniam humor ipse, ob tenuitatem, non seruat diu characterem qualitatum actiuarum frigoris, & caloris; & potissimum caloris: sicut enim velocissimè calescit, ita ob tenuitatem, velocissimè, vel citò saltem, frigescit; hoc est, in sui naturam redit, quæ est frigidâ. Verùm & frigus non admodum intensum habet, ob eandem sui tenuitatem. Facile ergo irascuntur, sed cessat & facile ira. Vt plurimum autem in mores, ex affectu frigido provenientes, sunt procliues; hoc est in timorem & anxietatem. Et hæc est causa, quamobrem cum sanguine tenui, ad ingenij acumen faciente, coniungit Aristoteles frigiditatem & timorem *in initio cap. mox citati de partib. animal.* Et hinc veritas oritur eius quod Plato 6. de Iusto dicit, *eosdem scilicet*

non esse dociles, memores, ingeniosos & acutos, atque etiam fortes, & magnanimos, ut moderatè, tranquillè, & constanter viuant: tales siquidem viri, acuminis ipsius feruore, quocunque contigerit, proferuntur, stabilitatis omnis, & grauitatis expertes: horum siquidem (ex dictis) temperamentum, & sanguis, ob tenuitatem terreæ portionis, parum firmiter calorem retinet. Vnde portio illa in connaturalem frigiditatem recidit, obiectâ re terribili; metus enim, frigus incutit. Aristoteles citato cap. 4. 2. de partib. animal. Sunt tamen ex alia parte, rerum pulchrarum, & laudis, atque gloriæ cupidi: ob multam enim docilitatem & perspicaciam, res pulchras suo nutu cognoscunt, earumque idcirco amore accenduntur. Hinc fit, ut infamiæ impatientes, mortem pulchram, vitæ turpi præferant: atque ita, se ipsos reluctante naturali timiditate in pericula rapiant; affectibus tamen timoris consequentibus: videbis enim pallidos, dum pericula aggrediuntur, proque timoris gradu, etiam trementes: perstant tamen ipsi in periculo, nihilque

hilque indignum faciunt. Hinc rectè monuit auctor libri *De ingeniorum examine*, arces, & regionum custodias, nobilibus hominibus esse consignandas; hi enim ob honoris cupiditatem, etiam si naturâ timidi sint, seipfos continent, nihilque non generosum faciunt.

Celebris est historia, inter pugnas singulares (quas *Duella* vocant) paucis abhinc annis in Italia confertas, historia inquam Viri, qui ad pugnam inter vallum iam constitutus, tremere adeo cœpit, vt multo spectantium stomacho, arma vix tenere posset: cuius ductor (Patrinum dicebant) cùm iam aliquam causam pugnæ differendæ meditaretur, diffusus tanto tremore, ille econtrâ: *Non equidem, nam etiam si corpus tremere videas, animum tamen constantem in voto vincendi, vel honestè moriendi, scias: atque inceptâ pugnâ, tremor evanuit, incaliciente scilicet iam magis terrea portione; & aduersarium insigni pugnâ deuicit.* Simile quoddam exemplum in Turno, cum Ænea pugnaturo, descripsit Virgilius,

12. *Æncid.* *Adiuuat incessu tacito progressus, & arans
Suppliciter venerans demisso lumine Tur-
nus,
Pubentesque gena, & iuuenili in corpo-
re pallor.*

Aggrediuntur itaq; huiusmodi ho-
mines, res præclaras; cum multa ta-
men animi, & corporis repugnantia,
nisi eam tandem, contraria consuetu-
dine superauerint. Sunt præterea vo-
luptatum corporis appetentes, tripli-
ci de causa, quoniam scilicet, cum fri-
gescit humor, ad mœrorem depellen-
dum, tanquam medelam, volupta-
tem expetunt, sicuti dicit Aristoteles
7. *Eth. cap. vlt.* ob vehementiam appé-
titus: etenim ab ipsa irritatur, qua-
dam mordacitate humoris, vis femi-
nis excretiua: sicut ob astringentiam,
excitat famem, & desiderium volup-
tatis ex gustu prouenientis. Tertiò,
ob flatus; licet non tantos sentiat,
neque tot, quot fert crassior melan-
cholia. Sed adiicere oportet causam
ex similitudine: cum enim incalescit
humor, tum iucunditatem (vt rem

similem alterationi, quam tunc patiuntur iucundè desiderant: Quae ratione iuuenes, voluptatis sunt appetentes, ut dicit Aristoteles *ult. cap. saepe memorato 7. Ethic.* Huius temperiei fuisse Caesarem Dictatorem ego reputo: nam fuisse melancholicum, morbus sacer, à quo vexatus fuit, declarat: praeterea, quòd animo repente linqui, & per somnum exterreri solebat, Suetonio referente: haec, melancholiam frigidiusculam, ac tenuem, fuisse eundem humorem, ingenij acumen, & ad omnia tractanda aptitudo, demonstrat: Fuit enim maximus Orator, & quem vnum expauesceret Cicero; nobilissimus Historicus, licet aliud ferè agendo partem hanc sit prosequutus; & res Philosophicas (quantum liceat homini, inter arma, & ciuilia negotia perpetuò excubanti) summopere cognouit: quod annui cursus, & spatij constitutio, partefacit: praeterea, Alexandriae in confessu Philosophorum, disputasse legimus: Laudis vero, & gloriae fuisse appetentissimum, nemini ignotum est; nam Principatus, Patriae arreptus: fle-

Caesar Dictator,
melancholia frigidiuscula,
& tenui,
eaque nitida, non
turbulenta affectus.

tus eius ad Alexandri statuam in Hispania, & alia infinita, argumenta sunt in promptu. In omnem autem libidinem fuisse profusum; qui nescit; Suetonium legat, qui inter cætera, id obiectum Cæsari à Curione patre scribit; omnium mulierum esse virum, omniumque virorum mulierem: Fortitudinem præterea ipsius aduersus pericula bellica; potius ex ingenti laudis, & gloriæ cupiditate ortum duxisse; quàm ex temperamenti constitutione, naturalique animi firmitate crediderim: nam animo linqui, & per somnum exterreri solitum, supra diximus: quæ, animum potiùs mollem, quam naturali habitu constantem monstrant: Sed immensa laudis, & gloriæ cupiditas: & præterea, ortum esse in ea Republica, in qua nihil, nisi arma resonarent; postremò consuetudo, & expeditio- nes atque earum prosperitas, ad inuictum quoddam animi robur eum perduxerunt: vt L. Cassium, contrariarum partium, cum decem rostratis, occurrentem, ipse in naucula existēs, expectauerit, atque eum inuitando,

in gratiam suam receperit : quod , non vnus fortitudinis effectum crediderim , sed potius multæ de sua fortuna , spei : fortunæ enim immensum confisum , declarant verba Amiclæ dicta , in traiectu Ionij ; ne scilicet procellam ingruentem timeret , etiamsi lembo veheretur , quod Cæsaris fortunam secum ferret. Hic idem genius si minus ambitiosam , quã Cæsaris disciplinam sit nactus , euadit Philosophus : nam Philosophicus genius , naturâ ipse quoque gloriæ cupiditate æstuat , quousque virtutis habitu , & Sapientiæ amore compescatur , nisi que idoneam nanciscatur disciplinam , Rerum publicarum administrationi se dat : vbi , si in deterio rem viuendi rationem , vel à societate , vel ab occasione , & facultate deflectatur , in omni turpitudine , & scelere voluitur : & hinc , tyrannides , & alia ingentia mala ducunt originem : sicuti maxima bona Reipublicæ afferunt , si laudabilem disciplinã sint adepti. Quemadmodum enim exile ingenium nihil magnum , neque boni , neque mali , priuatim aut publicè facit ; ita excel-

lencia ingenia si corrumpantur, gra-
uissimorum malorum authores fiunt: si
verò integra sint, & honestè exculta,
summa bona, priuatim, & publi-
cè afferunt. Quæ, si quis latiùs con-
siderare cupiat, Platonem adeat *in 6.*
lib. de Iusto, vbi hæc omnia exqui-
sitè profecquitur.

Melan-
cholia te-
nui tur-
bulenta.

Si verò terrea portio fuerit tenuis
quidem, sed turbulentior, neque ni-
tida: hi non tanti acuminis; ingenio-
si tamen, & ad contemplandum facti:
turbulentia enim cum materia sit
tenuis, non est multa: idcirco non
aufert contemplandi facultatem, ex
Aristotele; cum restet tenuitas, licet
remittat aliquatenus acumen. Sunt
deinceps homines hi, frigidiores prio-
ribus; nam ob turbulentiam, minùs
est vstibilis terrea portio: Hinc à pu-
blicis actionibus potius recedentes,
quietam vitam, inconstantem tamen,
eligunt: atque si rebus sacris se dent;
in eremos, vel saltem monastica cœ-
nobia confugiunt: siue (si litteris na-
uent operam) studiis quietis, atque
solitarij otij amicis, incumbunt. Quòd
si neque sacris intuentur, neque litte-

ris, eorum genus hominum constituunt, à Cicerone descriptum, qui Rempublicam, & publica munera relinquunt, ob animi mollitiem: quòd labores & molestias, cùm offensionum, tum repulsarum, quasi quandam ignominiam, & infamiam timeant: & cùm gloriam negligere, ob quandam animi frigiditatem possint; infamia tamen frangantur. Hi (inquit) viri, otium tamen non constanter quietoque omnino animo seruant: nam ob tenuitatem, aliquando incenditur: hincque, accedente potissimum intellectus perspicacitate, laudis desiderio agitantur: ita vt aliquando vitam actuosam mallent, sed vel aggrediendo, statim dum experiuntur labores, & offensiones fastidiunt: vel ne aggredi (timiditate quadam retinente) audent: atque ita, internam pugnam timiditatis, & cupiditatis, distrahuntur: In hosque illa cadit immodica verecundia, de qua Plutarchus in opusculo proprio: eiusque effectus patiuntur, vt scilicet saepe turpia, vel ærumnosa petentibus, concedant inuiti, ob denegandi imbecillitatem. Quoad timorem autem, &

audaciam; timidi sunt, licet ob infamiae periculum, timorem dissimulent; quinimò & saepe ante opus, fortitudinem simulant, & in iactantiam incidunt, sed periculo comminus ingruente, plerumque turpiter fugiunt, nisi multâ disciplinâ, naturalem propensionem vicerint. Sunt verò in voluptates maximè profusi: nam medellâ magis quàm priores egent: sed remedium quoddam, innata illis timiditas affert, & verecundia: non enim audent sollicitare; hique sunt eorum numero, quos dicit Seneca *epist.* 87. *plures pudore, quàm bona voluntate à prohibitis abstinent, ut hinc, minus, quàm priores, alienos thoros offendant: deest enim audacia, & auctoritas; sed animo & re, omnem in modum, plus quàm priores, peccant, vbi non sit pudoris retinaculum: unde, si nacti sint potentiam, & ministros; ut alienâ impudentiâ, voluptates concupitas parare possint, hi pessimi homines euadunt: Huius temperamentum videtur fuisse C. Caesar Caligula.*

Caligula
melâcho-
lia tenui
turbulen-
ta labora-
vie.

CAPUT V.

De differentia Crassitie.

Slverò fuerit humor hic crassior, tunc plures exoriuntur differentiæ: nam qualitates actiuæ, cum firmiùs in crassiori materia retinentur, ipsæ numerum differentiarum augent; inter quas reponendæ sunt, atque considerandæ: siquidem cum tenuis materia existit; calor non diù retinetur, sed materia satis citò in sui naturam redit: at verò cum crassa est, calorem diu retinere potest, & per totam usque vitam, ex materiæ densitate, & caloris temperie. Id ergo primò distinguendum, in quibus crassa materia reperitur, Vtrum ea calida sit, an frigida: & quibus id, caloris, & frigoris gradibus: præterea adiiciendæ sunt differentiæ ex crassitie gradibus, & ex nitore, atque turbulentia materiæ: Si fuerit crassa materia & nitida, caloreque moderato incensa, nasci-

Variæ differentie
 melancholice crassæ.

Melancholia
 crassa nitida, moderatè calida.

tur ingenium hominum ad philosophandum aptum, & potiùs ad res Morales, quàm ad Naturales: & has; potiùs solidè, atque iudiciosè, quàm subtiliter considerandas. Quoad mores autem; sunt graues viri, & in proposito constantes, ex eorumque numero, quos describit Horatius,

lib. 3. Car-
min.
Ode 3.

*Iustum & tenacem propositi virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solida, neque Auster
Dux iniquitatis turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.*

Est ergo in bello intrepidus, quicumque talis est: idque nos præclarè docuit Plato lib. 6. de Iusto, qui locus suprà partim adductus, nunc totus afferetur. An ignoras, inquit, quod iidem homines, memores, dociles, ingeniosi, & acuti non sunt, ac etiam fortes, atque magnanimi; ut moderatè, tranquillè, & constanter viuant? Tales siquidem viri; acuminis ipsius feruore, quòcumque contige-

rit proferuntur, stabilitatis omnis, & gra-
 uitatis expertes: Vera loqueris, Habitus
 autem ipsi animorum stabiles, & à leuita-
 te penitus alieni: quorum in grauitate ma-
 ximè confidendum, utpote qui bello in-
 trepidi sunt, ita, ad disciplinas tardiores,
 & hebetes. Quod tamen de hebetudine
 dicit Plato, intelligendum est, si con-
 ferantur cum prioribus; & præterea,
 de crassitie turbida, qualis vt pluri-
 mum est crassities: ideoque si simpli-
 citer crassities dicatur, & concipiatur,
 cum turbulencia potius, quàm cum
 nitore concipitur. Quoad voluptates
 autem venereas, & corporales, mihi
 videntur valde sui compotes: non
 enim facilè permouentur ab oblati-
 speciebus, ob animi constantiam:
 Præterea neque tristitiam internam
 patiuntur, ob eandem causam: ani-
 mus enim constans, & ob calorem,
 vegetus est: neque mordax vapor,
 aut humor, corporis externa excitat.
 Nam cum compactus ponatur humor,
 non facile patitur quicquam euapo-
 rare, sed vnita materia restat: vnde
 non egent hi homines voluptate, vt
 medelâ: cumque etiam honesta co-

gnoscerentur sint cupidi; & ob firmitatem, sint sui compotes, possunt cohibere animum, ne voluptatis desiderio marcescat. Huius omnino temperiei videtur extitisse Cato Uticensis: hic enim fuit satis apti ad intelligendum ingenij: fuit autem Philosophus Stoicus, nec Platoniorum ignarus: legitur enim, qua nocte mortem Uticæ meditabatur, Phædonem Platonis perlegisse. Quantæ verò animi constantiæ fuerit, apertum est; quem neque terror, neque gratia unquam à recto deflexerit. Et scribit Plutarchus, cum adhuc puellus esset, rogatus à quibusdam Legatis, ut patri negotium parum è re publica commendaret, abnuisse; neque multis & repetitis precibus cessisse: cumque tentandi gratia, raptum extra fenestram, se præcipitem daturus simularent, ni pareret, in eadem tamen deliberatione constanter perstitisse: Vir autem factus, summâ constantiâ, inter ignominias Populi illudentis, & expuentis, in carcerem tractus, partes tamen publicæ utilitatis defendere perseveravit: Neque minore con-

Cato Uticensis melancholiâ crassâ affectus, eaque nitidâ.

stantiâ, honores parum honestos spreuit; quàm immeritas ignominias per- tulit: nam & Pompeij affinitatem, & Cæsaris amicitiam, vt parum è re publica refutauit: Prudentiæ autem tantæ fuit, vt multò priùs seriem publicæ iacturæ, ciuilibque discordiæ, & futuræ tyrannidis præuiderit: Temperans quoque & castus, vt solâ vxore contentus (quod ego legerim) fuerit: qua in re Censorinum auum, longè superauit. Phocionem eiusdem genij, & Brutum, ego reputo. Socratem quoque non longè abfuisse crediderim ab hoc temperamento in- tenuitatem; nam maioris ingenij, sed minoris à naturâ constantiæ, ceu ex illis apparet, quæ Physiognomus coniectauit de naturali eius propen- sione, ipseque fassus est: verùm dis- ciplinâ, & assuetudine atque vitæ in- stituto; hos omnes, etiã constantiâ superauit. Cato enim in morte fuit intrepidus, tamèn non ita, vt aliqua præparatione non egeret: ideo se Phædonis lectione muniuit: sed So- crates, in ipsâ morte; tantæ constan- tiæ fuit, vt nedum vlla consolatione

Vt & Pho-
cion, &
Brutus, &
Soerates,
cuius ta-
men me-
lancholia
tenuior
fuit.

eguerit, sed ipse flentes amicos, si Platoni credimus, consolatus fuerit. Hanc tamen temperiem qui nactus est, si parum congruam disciplinam sit consequutus, multas mutationes subit: si namque in voluptuosa vita educetur, emollitur animus; atque primò redditur in iram præceps, & morosus, & procedente tandem molli-
 litie, segnis euadit. Cuius rei testem nobilissimum Platonem adducimus, qui 3. *de Iusto*, mutationem hanc habitus animosi; si disciplinæ suatî se dedat, describit. Verba sunt (dignus enim est locus, qui legatur) *Quicumque permittit, ut Musica animum suum assiduè circumsonans occupet, & demulceat, perque aures velut per infundibula harmonias infundat, quas supra commemorauimus, suaves, blandas, ac molles, & flebiles, atque etatem suam in modulis animum delinientibus consumat; is primum quidem, si quid iracundum habeat, tanquam ferrum emollit, & utile, ex inutili, duroque efficit. Quando autem incumbit diutius, magis demulcet; post hoc, iam liquefacit animum, atque resoluit, donec distillando exhauriat animositatem*

omnem excidatque, tam nervos ex animo, ex quo animum, quasi segnem militem efficit. Sic est omnino. At si à principio hominem nacta sit naturâ sine animi robore, citò hoc perficit: sin autem animosum, vires animi frangens, ad iram reddit precipitem; ut minimis quibusque offensusculis irritetur; ac facile iterum efferuescat, unde ex animosis, iracundi, & morosi effecti, sunt molestia, & fastidio pleni. Ita Plato; Quæ mutatio habitus animosi, præterquam quòd rationi consonat, Alexandri Magni exemplo confirmatur; hic enim, acutè intuentibus, modò descriptæ temperie; apparebit, ut scilicet crassam æquè ac Cato, terream portionem habuerit, & nitidam: fuit enim Philosophiæ auditor, & docente Aristotele, capax: verùm magis in ipso, quam in cæteris modò dictis, ob maiorem temperamenti calorem, efferbuit, quod eius animi impetus, ad vastissima quæque incepta, præclarè docet: Huiusmodi ergo verè animosus vir, cùm Persicis delitiis emolliri cœpit (quod enim de Musica dixit Plato, de omni emollientium genere est interpretandum) in tantam

Item Alexander Magnus melancholiâ crassâ nitidâ calidiorè laboravit.

morositatem erupit , vt inter epulas , carissimos amicos leuissimis de causis occiderit ; atque euanescente irâ , ob immodicam pœnitentiam , manus sibi afferre aggressus deinceps fit. Quòd si econtrâ homo huiusmodi disciplinam , feroces reddentem nactus sit , verbi gratia inter sicarios , aut latrones , sit educatus ; ad omnem iniquitatem , vi , & armis perpetranda erit factus ; summæ siquidem animi constantiæ ; non deerit ingenium , animumque eiusmodi , naturali constantia , & fera disciplina prædurum , non vllius amici , vel pro amico habitæ caritas , tanget : cùmque animum pro arbitrio cohibere possit , & ob ingenij perspicacitatem , sit admodum versutus , mirus erit fallendi artifex , vtque de Sisypho dicebat Homerus , Iureiurando fallere poterit. Verum id tamen est ; Sicut crassa omnis Atra Bilis , est fallendi potis , ita dum caliditate excedit , fallere non eligit : potius enim aperta vi grassatur (vt pote , quæ plena sit confidentiæ) quàm fallaciis , & dolo ; nisi assuetudo , & frequens exemplum , aliud suaserit.

Sed

Sed si Atra Bilis, crassa quidem, & nitida, verum frigidioris fuerit habitus, quam modo recensita, non multum tamen à mediocritate recedens, tum est in fraudem, à naturali propensione, pronus, nedum aptus: cuiusmodi fuit Vlysses, si verè describitur, quoad animi propensionem, ab Homero: fuisse enim crassam, Bilem eius Atram, ipsumque firmi ob id animi, extitisse, multa constantia, & tolerantia docet: quæ, non Moralis, sed Naturalis fuit; etenim adulter inter cætera describitur, qualis, si Aristoteli credimus, vir Morali virtute præditus, esse non potest: Ut autem hanc animi firmitatem Vlyssis exprimeret Homerus, inducit Areten Alcinoï uxorem, de ipso dicentem,

Atra Bilis
crassa, ni-
tida, fri-
gidioris
habitus.

Huius fuit
tempera-
mentum
Vlysses.

*Phæaces cuiusmodi vobis vir hic videtur
esse,
Formaque magnitudinèque, & mente intus
æquabili?*

Nitidam autem fuisse Atram eius Bilem; multa prudentia, & ingenium declarat; ut Minerva ei dixisse inducatur,

*Propterea & te non possum permittere infelicem esse,
Quoniam facundus es, & ingeniosus, & prudens.*

Frigidioris tamen habitus ; multa eius cautio, & quòd tam inter prudentiores, quàm inter audaciores reponitur, ostendit ; cum tamen frigiditas non multum à mediocritate recederet : fuit etiam fortis, si cum communis notæ hominibus comparetur : at cum fortibus collatus, Achille, atque Aiace, nequaquam : vnde Polyphemus eum, secum conferendo, vocat apud Homerum, paruum, nequam, & imbellem. Huius eiusdem habitus fuit Tyberius Imperator ; sed recedebat in ipso, forsan aliquantum à nitiditate, & superabat copia : Hinc, prudens admodum & ipse potuit esse (quem admodum Cornelius Tacitus scribit) ob plures nitiditatis gradus, quàm turbulentia : summopere autem cautus, ob frigiditatem, ita vt sæpe timiditatis notam subierit : ita enim, Romæ expectare Legionum Germa,

& Tyberius Imperator.

nicarum seditionis finem, & dissimulatio in principio Imperij assumendi, à nonnullis interpretabantur; (Suetonius in *Tyberio cap. 25.*) & expauisse fulmina, laureamque sibi coronam aduersus ea, imponere solitus legitur. Præterea verò trepidatio, qua Rhodi degit, elapsâ tribunitiâ potestate, id satis apertè declarat: tanto enim terrore vitam egit, vt etiam in Mediterraneis aquis secesserit, atque solitudine se obtexerit: totâ autem vitâ, summè suspiciosus: quæ omnia, melancholiam copiosam, & à mediocritate, in frigiditatem recessisse demonstrant. Crassitiem autem eius, acerbitas iræ, atque iniuriarum tenax recordatio, satis declarat. Frigiditatis portionem rursus patefacit solitudinis optio, tum priùs Rhodi (vide Suetonium *cap. 63. 64. 65. cap. 69. 70.*) tum deinceps in Campania, iam Imperator: Sed crassitiem aliquantulo tenuiorem, indicat eius in subtilioribus facultatibus opera: ceu Suetonius scribit, & quædam minuta curiositas. Hoc Tyberij temperamento dato, facile est eius vitæ mutationem, & va-

rietatem deducere : si quidem quæ ex temperamenti natura inferuntur , ea perfectè , vitæ ipsius , atque actionum exitui respondeant. Gradus ergo varietatis in ipso obseruatæ , huiusmodi à Tacito numerantur. *Morum* , inquit

Annal. 6.
sub fin,

Cornelius , quoque tempora illi diuersa ; egregium vita , famaue , quoad priuatus , vel in imperiis sub Augusto fuit : occultum , & subdolum , fingendis virtutibus , donec Germanicus ac Drusus superfuere : Idem inter bona , malaue mixtus , incolumi matre : instabilis seuitiâ , sed obteētis libidibus , dum Seianum dilexit , timuitve : Postremo in scelera simul ac dedecora prorupit , postquam remoto pudore , & metu suo tantum ingexio utebatur. Hæc Cornelius : Quam nos varietatem , ex temperamento , propiùs quàm ipse , ex solo alieno timore , aut amore , & pudore , deducere possumus. Crassus siquidem fuit melancholiæ habitus , & calidus aliquantum ; tamen in frigiditatem à mediocritate propendens. Dum itaque temperamenti calor , ob iuuentutis caliditatem increbuit , mirè melancholia contenta , animusque obfirmatus perstitit ; potif-

simè reuerentiâ Augusti, cohibitus ab omni, si quæ irreperet, mala cogitatione: anno tamen 33. ætatis, Imperium suscepit, cum iam ab animi robore, & mentis perfectione (quæ annò 49. inest nobis, secundum Aristotelem) aliquantum decessisset: ideò crediderim iam tum cœpisse mutari animum, atque relaxari, & vix potuisse ab immutato calore, tum melancholiam disponi, & digeri. Quam diffensionem intimam, ipsemet videtur agnouisse, sibi que ipsi diffidisse in assumptione Imperij: vnde in oratione quam in Senatu habuit de imperio reiiciendo, dixit, in longum iaciens intimum deprauationis initium, quòd persentisceret similem se semper sui futurum, nec vnquam mutaturum mores suos, quamdiù mentis sanæ fuisset: sed exempli causa, cauendum, ne se Senatus in acta cuiusquam obligaret, qui aliquo casu mutari posset. Et rursus, *si quando autem,* inquit, *de moribus meis, deuotæque vobis animo dubitaueritis: quod priusquam eueniat, opto vt me supremus dies huic mutata vestra de me opinioni eripiat; nihil*

honoris adiiciet mihi patris appellatio; vobis autem exprobrabit, aut temeritatem delati mihi eius cognominis, aut inconstantia contrarij de me iudicij. Ergo iam eminus prospiciebat animi sui lapsum, qui nondum tamen resolutus adeo erat, vt præcedentia vestigia, (multo licet labore, & repugnantia affectuum,) non sequeretur. Quare multum adiuventi ad bona opera capeffenda afferebat de Germanico timor. Mortuo tandem Germanico, iamque magis declinante ætate, & calore, Atram Bilem, verisimile est, in flatus agi cœptam: vnde libidinum incensionem agitari, & morositatem, atque tristitiam intendi oportebat. Maiorem autem declinationem accepit ex filij Drusi morte, quem senectutis iam perfugium, & securitatem habebat. Auctus itaque est timor, & ex timore frigiditas; metus enim frigus incutit, Aristoteles in Problem. Quare tum in summam morositatem, & instabilem sæuitiam, homo ab initio pronus deuolutus est: sed libidines peruincebat longus famæ amor; sæuitiam enim pulchris nominibus regere

confidebat, de libidine desperabatur. Quem intimum Tyberij sensum videtur consequutus Tacitus, cum dicit, proprium id Tyberio fuit *scelera nuper reperta* (de sæuitia dicebat) *priscis verbis obtegere*. Sed incremente tandem frigiditate ætatis, ideoque in turbulentiores, ob flatus, libidines actus, atq; à nimio timore in secessum Campaniæ, & Capreis adactus, resolutus est in omnes monstruosas libidines; mortuo potissimum Seiano, quem ceu custodem, ob intimam familiaritatem, ante actæ continentiæ habebat: ideo ob frigiditatem in summam morositatem actus, obque iam effrenam libidinem, in summum sui pudorem, atque conscientiæ perturbationem, agitated, prospiciensque, ob tot scelera, futuram (qua erat prudentiâ) infamiam, plenus horroris, & tædij, in ea verba celebria prorupit.

Quid scribam vobis P. C. aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore? Dij me, Deaque pœnis perdant, quem quotidie perire sentio si scio. Hæc de Tyberio sufficiat in præsentia. Plura, qui cupit, eadem methodo deducat.

Corn. Tacit. 6. Annal.

In hac latitudine, sed magis ad frigiditatem accedentes sunt, qui flatuosissimi sunt, ideoque libidinosi sunt admodum: nam calor cum in terrestrem materiam impingit, quam superare nequit, & digerere, eam in flatus dissolvit, qui flatus vberiores, & diuturniores sunt, quò materia est crassior: talem, tunc videmus naturâ hominem admodum libidinosum. Si verò humor fuerit crassus, & valde frigidus, stupida ingenia hominesque ignavos, & maximè formidolosos reddit.

CAPVT VI.

De Melancholia, siue Atra Bile combusta.

HVc vsque, quas differentias faciat Atra Bilis nondum combusta, explicauimus: Quid autem operetur postquam combusta est, restat explicandum. Dico autem combustam, cum ei gradui respondet, quem

obtinent res exteriores, cùm ab igne incineratæ sunt. In horum ergo melancholia terreaque portione, calor adurens cessauit, remanentibus solùm quibusdam reliquiis caloris, ceu in cinere videmus: Verùm cùm rursus incenditur, caloris est mordacissimi atque exedentis, vt terram eleuet inquam cadit, & fermentet. Galenus *cap. 3. de Atra Bile.* Qui itaque homines ad hunc statum peruenerunt; vel grauius ægroti, vel maniaci sunt, vel iis propinqui; vt moralem quasi speculationem effugiant. Quis enim maniacis leges præscriberet? Ægrotis autem vix quisquam imperanda præstabit. Eam tamen considerare eatenus saltem nobis vsui erit, quatenus remedia præcauendi hunc quoque statum tradere oportet; ne dum frigiditatem melancholiæ fugimus, in combustam, nihil præcauentes, incidamus.

Qui ergo melancholiam tenuem iam combustam habent; dum sub eo habitu quiescit melancholia, sunt frigidis affectibus obnoxij, scilicet timori, molestiæ, sed cum acrimonia qua-

Melancholia tenuis combusta, non incensa.

dam, qua in naturali statu carebat humor. Rem autem ita se habere, cineris conditio nobis declarare potest. Quamobrem huiusmodi homines cogitationibus nedum meticulosis, & molestis, sed etiam cor quodammodo exedentibus, infestantur: & veluti totidem Tytij, perpetuum cordis morsum, ab hoc mordaci melancholix vulture, patiuntur. Quem hominum statum excellenter descripsit Homerus, de Bellerophonte loquendo.

Ast hic quando etiam grauior Diis omnibus errat.

*In campos solus mærens, atque auia rura,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.*

At cum cinis eiusmodi rursus succenditur, tunc mente abalienantur homines; ob tenuitatem tamen, non obuelatur omnis cognitio, sed potius ipsa in quendam feruentiorem habitum excitatur, atque ita, secundum Aristotēlem, Bacchæ fiunt, & alij qui oraculo creduntur instigati: & verè in dispositiones aliquas agi homines,

Eadem
succensa.

quibus & futura quadantenus præ-
sagire queant, & lymphaticæ quasi
mentis actiones æmulari, ego credi-
derim, eaque quæ scripsi quondam,
de Divinatione per somnium, probabi-
lissimè id persuadere mihi videntur,
(sed ut inde homines, Sibyllæ & Pro-
phetæ propriè, & verè efficiantur,
est id omnino à veritate absonum,) quorum tum hi, tum illæ, res à
cælestibus influxibus exemptas, sunt
vaticinati, nempe aduentum, vitam,
& mortem Domini nostri IESU CHRIS-
TI, cui sit honor & gloria: Qui e-
nim Redemptionis nostræ mysteria
Cælestibus figuris, & syderibus sub-
iicere tentauerunt, temerarij & pro-
caces in Philosophiam; in Religio-
nem impij adeò sunt, ut omnia co-
rum huc pertinentia scripta delenda
sint, & abiicienda. Est enim proble-
ma huiusmodi, inter ea connume-
randum, quæ dixit Aristoteles, pœ-
nâ, non disputatione egere: sed
consultant his, qui debent: nos inte-
rim ad rem nostram redeamus. Quid
Bilis itaque tenuis combusta, dum
reaccenditur efficiat, partim vidimus;

Sed & in Poësim aliquando impellit; vt de Marco Syracufano testatur Aristoteles, qui, Poëta præstantior, cùm mente abalienaretur, erat. Et hoc est quod Aristoteles intelligebat in libro de Poësi cap. 14. in fine: *Etenim Poëtarum aliqui, ab ipsâ naturâ, ad Poëticam bene formati sunt, aliqui autem, extra se positi*: Et paulò antea dixerat. *Itaque ingeniosi hominis Poëtica est, aut furore perciti*. Et de hoc eodem furore, est forsan exponendum cap. 7. 3. Rhetor. cum Diuini furoris plenam Poësim dicit. Et hoc in sensu, furorem Poëticum à Platone descriptum in Ione Peripatetici admitterent, non alio modo: cum eo tamen, ceu materiali dispositione, peculiare aliqui Cælestes influxus instar eorum, quæ de diuinatione per somnium diximus, possent recipi: sed de his aliàs.

Atra Bilis
 crassa cõ-
 busta, in-
 censa.

Si autem crassa Bilis fuerit combusta, hæc omnia peiora facit, quàm modò enarrata; plus enim mordacitatis, frigida: plus verò insanix, subincensa; adducit: vt ex hac, pro Poëtis, etiam Bacchis; maniaci potius, furiosique

evadant affecti homines : & commentum Poëtarum , de Herculis morte forsan ex huiusmodi eius affectione duxit originem : fuit enim Hercules melancholicus , vt Aristoteles dicit in Problem. ob animique constantiam , crassi habitus eius melancholia fuisse videtur ; quæ combusta tandem , in eam vesaniam ipsum , & furiosam mortem forte compulit , vt occasionem Poëtis dedit Nessi veneficium , & Heroïs carniū liquationem , atque exustionem , mortemque tandem spontaneam confingendo. Ex liquatione autem carniū , humoris virulentia , & exedens mordacitas patet ; vt in tractatu *de Colliquamento* ostendimus cap. 3. quæ Bilis Atræ est propria , dum combusta est. Et Alexander Magnus (si vera coniiicio) facile superuiuendo in aliquam huiusmodi affectionem deuenisset : crassam eius terream portionem , & valde calidam , supra demonstrauius ; inde , comburi tandem potuisset , atque affectus , illi , Bilis Atræ combustæ , intulisset : Quem vitæ exitum præcauere debent illi omnes , qui cum animi soliditate,

Hic 120
peramentum
fuit Her-
cules.

sect. 30.
Probl. 1.

Ad eamq;
deuenisset
Alexander
Magnus si
superui-
xisset.

46 *De Atra Bile quoad mores.*

feruorem multum coniunctum habent. Precauendi autem modum, mox vbi de remediis, assignabimus.

Atra Bilis
crassa cō-
busta, non
incensa.

Dum melancholia crassa combusta remanet, frigidus affectus eos incutit, vnde præ metu, molestia, & angore, homines se perimunt suspenduntque, quemadmodum dixit Aristoteles in Problemate.

Finis Libri primi.





DE
ATRA BILE
 QVOAD MORES
 ATTINET.
 LIBER SECVNDVS!

CAPVT PRIMVM.

De Remediis.



VI mores ex Atra Bile
 proueniant, vidimus. Re-
 stat vt remedia eius ex-
 purgandæ, qua ex parte
 mala est, afferamus: non
 enim in vniuersum mala est: neque

2. Sectio
Probl. 1.

In Atra
Bile, sep-
tem noxia
præcauen-
da, &
curanda.

ideò est tentandum, vt in vniuersum, atque omnino eam eiiciamus; cum neque id fieri possit, neque conducatur: Non potest; siquidem Aristotele teste in Problem. omnes homines, huius naturæ, aliquid intermissionis continent: Non conducit, siquidem videmus plures laudabiles mores, necnon præclaras animæ cognoscentis dispositiones, ex hoc humore, materialiter proficisci. Septem itaque solùm sunt in eo noxia, atque expellenda, scilicet Nimia Copia, Nimia, & Præualens Frigiditas, Nimijs Calor, atque postremo Combustio. Separo autem Excellentem Calorem à Combustione, quoniam hîc combustionem accipio in esse factò, non in ipso fieri; & Excellentem Calorem, accipio, cùm materia incalescit, antequam Combustionem sit passa, vt suprâ fuit declaratum, cap. scil. 2. Longè autem differt materiæ combustæ calor, à non combustæ calore: hic suauior enim est, ille mordacitatem magnam secum semper affert, atque in moribus morositatem, & vrsaniam. Calor hic mordax:

dax: ille contrà, securitatem potius, & habitum animi alacrem inducit, vt Aristoteles, in citato toties Problemate, nos edocet. Sunt autem præterea præcauenda tria, Nimia Tenuitas, Nimia Crassities, & Turbulentia: Cùm septem itaque sint expellenda, plurifariam quoque secabitur nostra curandi cura.

Exordiamur autem à Frigiditate, sequaturque Calor, tertio Combustio, quarto Copia: & merito Copiam in quartum locum reiecimus, quoniam à reliquis tribus augetur: Combustio vero, à Calore efficietur: & Frigiditas, est materiae congenita qualitas.

Duplex autem est cuiusque curæ scopus; primus, ne praua dispositio in humore gignatur; secundus, vt si iam genita sit, expellatur; non enim in præsentia curam medendi à conseruandæ, & tuendæ valetudinis studio separare intendimus; sicuti neque Galenus separandam censuit: id tamen semper animo repetatur quod ab initio diximus, Nos hic, in ordine ad Mores; hæc omnia considerare &

tradere, non ad corporatē valetudinem primariò, & per se.

C A P V T I I.

Quæ Melancholiam frigidam faciant.

PRimo itaque loco nimix frigiditatis vitandæ in melancholia remedia tradere, iuxta propositum ordinem, debemus. Ut autem frigiditatem euitemus, & expellamus, quæ causæ eam generent, tenere primò debemus; quas cum calluerimus, tum demum in iis potissimum, quæ ab animi motibus, & à vitæ instituto proueniunt, insistemus.

Frigiditatis itaque, in vniuersum, in animalis corpore consideratæ, septem facit causas Galenus, *de Causis Morborum cap. 3.* Propinquitatem primò, refrigerantium; secundò, cibi, & potus quantitatem; tertio, eorundem qualitatem; quartò, stipationem; quintò, rarefactionem; sex-

tò, otium; septimò, immodicum motum: Quæ causæ, licet subseruire possint instituto meo, distractiore tamen, & absolutiore methodo utemur, si per res naturales, & non naturales (vt Medici distinguunt) incedendo, quæ ipsarum, ad humoris refrigerationem faciant, consideremus; recensitis causis septem, tum adhibitis. Naturales autem vniuersas, ego ad temperamentum redigo in præsentiarum: siquidem Elementa ad ipsum rediguntur, vt Principia: Partes Solidæ & Humores, vt Subiecta: Facultates, vt Effectus.

Temperamentum itaque frigidum, Atram Bilem quoque refrigerat, quæ cum ex sui natura frigida sit, si frigidum agens nanciscatur, internam frigiditatem consequitur. Ex rebus vero non naturalibus; maior pars, leuiter est attingenda, at in postrema, multum insistendum: sex enim sunt, Aër, Cibus, & Potus: Motus & Quies: Somnus, & Vigilia: Excretio, & Retentio: Animi Perturbationes. Ex his itaque potissimum Animi Perturbationes nobis considerandæ; reliquæ

percutrenda: *Aër* itaque crassus, & turbidus, ad frigidam melancholiam excitandam factus est. Dico autem Crassum, & Turbidum, potius quam Frigidum; nam frigidus aër, si tenuis sit, dum inspiratur, facillime incalescit, ob tenuitatem: antequam enim ad cordis regionem perueniat, primò ab ore, & gurgulione, deinceps à trachea arteria, tandem ab anfractibus pulmonis alteratur, facileque, si tenuis sit, incalescit: quòd si crassus sit, & turbidus, non omnino ab actione recensitorum membrorum vincitur, sed reconditam frigiditatem seruat; & (quòd certius est) ob crassitiam turbidam, opprimit calorem; & quodammodo suffocat: sicut lucernæ, cum aliquid crassum, in accensum lychnum incidit; & si incidat oleum, lumen extinguatur, vel saltem offenditur, & vacillat. Hinc, incolas vidorum locorum, & palustrium, ubi grauis, & turbidus aër necessariò inspiratur; melancholicos vt plurimum videmus, lienososque, & tristes, & liuidos, tum corpore, tum animo; cau

contingit Ceruix, & in aliis eiusmodi locis.

Cibi verò melancholiam frigidam ob qualitatem, generantes, vel augentes, qui sint, ad Medicos, docere spectat; id in vniuersum hic dici potest; Cibos frigidos, & crassos, id præstare: Qui verò tales sint, à Medicis ediscatur: De quantitate tamen, latius differere, Morali esset permittendum, si temporis commoditas, & copia suppeteret: Sed id sufficiat dicere, ab immodicis cibis, & potu, calorem suffocari. Aristoteles *Problem. I. sect. 30.* dicit; *Nonnulli ex melancholicis, ubi abundè potarunt, dolent, & animo vehementer succumbunt; calor enim naturalis à calore vini extinguitur.* Inde Temperamentum, etiam si frigidum non sit, tale redditur; idcircoque Humor, suâ naturâ frigidus, qualis est melancholia, frigidissimus redditur; & Cibi, cum non digeruntur, sed in cruditatem transeunt, si potissimum in flatuosam cruditatem abeant, Melancholiam frigidam faciunt, quam Hypochondriacam vocant Medici. Ego autem eam expertus sum aliquando, sensibilisque

frigiditatis, cùm ante diluculum surgerem, si nondum perfecta concoctio foret, meque studiis traderem: eratque molesta, & meticulosa, ut nisi animo obstitissem, solitudinis horrorem incussisset: optimè autem inedebantur iniecta ventriculo fomenta, aliave omnia concoctionis adiuuandæ argumenta.

Somnus, & Vigilia, ita se ad humoris huius frigiditatem generandam habent; ut immodica vigilia exsiccando corpus; primò quidem Melancholiam calidiorem, deinde tractu temporis etiam frigidioram faciat: nam ad humoris euaporationem, calor quoque expirat, ex Aristotele in 4. Meteor. cap. de putredine, & alibi: Vigilia quoque immodica, melancholiam generat hypochondriacam, ex concoctionis impedimento, ut iam diximus. Somnus autem, de se potius calefacit, & humectat; tamen si immodicus fuerit, ob humorem nimium, quem generat, refrigerat suffocando. Vnde Somno nimium indulgentes, desides & pigri, ignauique demum redduntur. Per accidens etiam somnus ni-

mius, Melancholiam dictam generat, tristitiam inferendo, & potissimum hominibus non ventri natis, sed pulchris, intellectus speculativi, vel practici operationibus. Ego quidem, (quem, nisi ingenium, votum tamen, & vitæ propositum, inter Philosophos reponere potest) quando post lucem surgo, ideoque consuetas horas solitoque ordine, studiis tradere non possum, tota die, cum ingruente quadam pœnitentia, & animi gravitate obluor.

C A P V T III.

De Motu, & Quiete. De Excretionem, & Retentione.

Motus, & Quies, iam moralem contemplationem magis subeunt, ideoque Plato de Motionibus corporis plurima differuit in libris de Legibus, & in libris de Iusto, ubi sigillatim quæ ad Choreas, & Gymnasticam pertinent, edocuit.

Quies itaque immodica, frigiditas

tem generat : nam humores quiescentes, sicut sensu, de locis vdis, non perspirabilibus, videmus, situm contrahunt, atque putrescunt : putrescentia verò, tandem calore, cum humore evanescente, frigida redduntur, & sicca ; vnde Aristoteles dixit
4. Meteor. Putrida, tandem restare terram, & fimum. Præterea Quies, reddit corpora frigida, quòd fons caloris animalis in corde est, hincque ad cætera membra transfunditur. Quod si nimio humore viæ sint oppletæ, calori transitus negatur ; vnde reliqua membra frigida restant, & cor ipsum, calore vndique occluso, atque prope modum suffocato, frigescit.

In motu autem ; non solum quantitas, sed qualitas quoque considerari debet. Quantitas, ne paucus sit, aut nimius. Paucus, ob rationem dictam. Nimius verò, quoniam resolutione immodicâ ; frigescit. Qualitas verò in motu est multiplex, & consideratione eget. Qualitatem autem latè sumo, prout etiam substantialem differentiam comprehendit. Sed differentias motus prosequemur in peculiari

lib. de motibus corporis quoad mores. Interim leuiter tetigisse sufficiat. Interest ergo multum, quisnam sit Motus, Alterationis scilicet, an Localis; & cuiusnam partis; vtrum Solidarum partium, cum corpus locum mutat; & quarum: diuersi enim motus, diuersas partes agitant. Galenus lib. 2. de sanit. tuenda, cap. 11. an Spiritus, quos Musica sonique obauditi, miris modis mouent, atque configurant, vt docet nos Plato in 3. de iusto. Item, mouent nos soni inconditi, vt strepitus, inconditæ voces, querelæ, & contentiones, & huiusmodi omnia, quæ per aures in animum irrumpunt. Alterationis vero motui patent, qui in locis perflatis, atque ex varia ventorum vi frequenter proturbatis, degunt: & qui aërem inæqualem, & varium, paruisque interuallis, modò calidum, modò frigidum sortiti sunt. Hæ, atque aliæ permultæ sunt differentia Motus, quæ magnam quoque in moribus differentiam faciunt. At in vniuersum sumpti motus, seorsumque, differentia sunt; Velocitas, Tarditas, Interpolatio, Perpetuitas, Æ.

In Theorap. lib. 2. & 3. curat. moral.

qualitas, Inæqualitas; siue Vniformitas, & Difformitas: præterea Robur, & Imbecillitas. Vehementiam verò, & Lenitatem, omittimus, quoniam componitur illa ex Robore, & Velocitate. Neq; ideò debet ex æquo, contra easdem simplices differentias diuidi. Ex his ergo Motibus; Tarditas, si cum Imbecillitate coniungatur, Frigiditatem potiùs quàm Caliditatem conciliat: Æqualitas Motus, molestiam, si diuturna sit, producit. Sicut enim, nos varietas delectat, ita fastidimus vniformitatem. Quare ex accidenti, æqualitas, frigiditatem inducit, quoniam indit tristitiam, quæ frigiditatem, ex dicendis, affert: atque re ipsa sentimus, Musicam per eosdem tonos, atque modos, siue numeros incedentem, multam tristitiam incutere; atque ita, lugubris Musica efficitur; & Plato 3. *de Iusto* docuit, iucundissimam Musicam esse, quæ varia est admodum; exque contrariis tonis, cum variis numeris, commixta. Hæcque eadem, vera sunt de alterationis motu, deque extrinsecis sonis, & strepitibus. Qui enim in

loco nullis mutationibus obnoxio, à nullisque ventis alterato, (si fieri id potest) viuit, frigescit ob quietem; Motui enim Alterationis, sua respondet quies. Cuiusmodi esse debent, quos memorat Seneca, nunquam domo exeuntes, sed diem totam dormientes, nocteque postea muneradiei peragentes, ad funalium lucem prandendo, cœnando, & reliqua omnia faciendo, præterquàm, vt Cœlum viderent. Siquidem, nullam aëris mutationem patiebantur, vel omnino exiguam, quantam scilicet etiam domi clausi necessariò patimur. Qui contrà in regionibus, perpetuis mutationibus obnoxiiis, viuunt; primò quidem à motu exsiccati, austeri homines, & duri redduntur, quales Alpium incolas nostros videmus, & Heluetios, atque Rhetos esse scimus. Deinceps si immodicè intendatur alteratio, ob idque exsiccatio, humore omni extrito, succedit frigiditas. Sed hoc rarò contingit, quoniam, cùm alteratio motus à contrariis agentibus, frigore, & calore producat, aliud agens, alterius actionem

contemperat, atque ita resolutionem postremam inhibet. Quies quoque à vocum contrariis momentis & strepituum obauditione, dum in profundo silentio homines, ceu Anachoretæ, viuunt, eadem ratione, quatenus de se est, frigiditatem generat: unde eorum animus grauior redditur; nisi aliud, alia ratione, opem ferat: & ideo in commercium hominum trahimur, eorumque non tacentium, sed loquentium; quoniam spiritus sunt omnimodè à sonis, quietis impatientes, & à vocibus potissimùm; quarum sonus, nostræ naturæ (vt propria actio) est iucundior, magisque familiaris: etenim actio propria, voluptatem affert, 8. *Ethic. cap. 3.* Versari verò inter contentiones vocum atque strepitus, (vt forensibus hominibus contingit) animum robustiorem, atque contentiones, saltem vocales, firmiorem reddit. Ex hac causâ, caupones, stabularij nautæque contentiosi efficiuntur: quoniam cùm semper inter varias hominum voces, querelas & animalium, cæterarumque rerum strepitus versentur, obfirmatus ipsis ad

huiusmodi pugnas redditur animus. Qualis etiam sit sonus, qui excipitur, permagni refert: Musica enim Lydia, & querula, animum frangit, atque frigidiorē reddit: Phrygia verò, feruidiorē; Dorica, constantem; Ionica, turpiter lasciuentem. Motus quoque corporis ipsius, atque solidarum partium eius, qualis sit, longè interest: Nam Ionicus motus turpiter emollit; mollitiam enim Veneriam repræsentabat: quare duplici causa animum emolliebat, ob imaginem turpē, quā in phantasia imprimebat; & quoniam in ipso, partes exercebantur, quæ Veneri inseruiunt, vnde illæ incalescentes, pruritu animum eneruante incendebantur. Qua de re Horatius in sua inuectus sæcula.

*Motus doceri gaudet Ionicos,
Matura virgo, & fingitur artubus,
Iam nunc & incestos amores
De tenero meditatur unghi.*

Lib. 3.
Carm.
Ode 6.

Quibus in versibus verba (*fingi artubus*) indicant partes Veneri aptas exerceri. *Incestos meditari amores, tur-*

pitudinem impressi phantasmatis significant.

Saltatio autem Pyrrhica, animum ad bellum incendebat. Sed nimium in longum prouehor. Finem ergo sermoni de motu, & quiete imponamus. Videantur tamen quæ scribit de motibus, & cantibus Galenus *1. lib. de sanitate tuenda cap. 8.* alibi, rem, vt iam polliciti sumus, fusius pertractaturi.

De excretionem & retentionem.

Excretio, & Retentio quos effectus in nostro corpore efficiant, à Medicis petatur. Interim nos summam dicamus, nimiam excretionem, resolutione corpus refrigerare: nimiam verò retentionem, suffocatione; In medio igitur consistendum. Hinc fit, vt corporibus, spermaticâ materiâ repletis, suavis sit inita Venus, alacritatemque afferat. At contrà, constituto animali, in opere quidem ipso, iucunda sit, sed postea tristitiam afferat; quod disertis verbis docuit Aristoteles citato toties *1. Problem. 30. sect.* Verba sunt. *Et post coitum venereum animo plerique omnes succumbunt, reddunturque tristiores. Qui tamen copians*

excrementi suo cum semine effuderint, hi
 latiores hilarioresque euadunt, quippe qui
 sic excremento, & flatu, & nimio calore
 leuentur. Ceteros tristiores, atque demis-
 siores saepe Venus relinquit; eo quod, par-
 ti necessario aliquo subtracto, refrigeran-
 tur.

CAPVT IV.

De Perturbationibus Animi.

R Estant animi perturbationes exa-
 minandæ, prior Morali Phi-
 losophiæ materia. Passiones itaque
 vndecim communiter à Latinis nume-
 rantur, vt penes D. Thom. p^a. 2^a. q. 23.
 art. 4. in corp. Amor, Odium, Desi-
 derium, & Fuga siue Abominatio;
 Voluptas & Tristitia: Spes, & Despe-
 ratio; Audacia, & Timor; atque Ira;
 quæ fusius, vbi de affectibus, pertra-
 ctabuntur. Interim verò, his supposi-
 tis (ad has enim siquæ supersunt,
 facilè possunt reduci progrediemur)
 Inter ergo Affectiones, & Perturba-
 tiones animi, potissimum frigus in-

In Curat.
 Moral.
 Part. 1.
 lib. 5. &
 seq.

cutere videntur, Tristitia, & Timor.

Timor.

De Timore testatus est Aristoteles *cap. 4. 2. de partibus animalum*, idcirco-
que in Timore palleſcimus, tremore
obruimur, vixque membra continere
valemus. Hos affectus pulcherrimè
in Turno expreſſit Virgilius, iam ob
dirarum omen perterrito.

*Ancid. 12. Illi membra nouus ſoluit formidine
torpor,
Arrectaque horrore coma, & vox faucibus
haſit.*

Et paulo poſt, de eodem ſubſequitur.

*Genua labant, gelidus concreuit frigore
ſanguis.*

Vbi etiam Virgilius frigus in timore
oboriri fatetur. Quod idem de Ænea,
procellam horrente, dixit.

*Ancid. 8. Extemplo Ænea ſoluuntur frigore mem-
bra.*

Et D. Thom. *in 1. 2. q. 44. art. 4. in
corp. idem aſſerit. Quo verò modo*
timor

timor refrigeret ead. *quæst. art. 1. ad 1.*
docet, modumque desumpsit ab Ari-
stotele in *Problem. sect. 27. Problem. 3.*
Verùm id animaduertendum, in Ti-
more, refrigerari cor, quòd à calore
deorsum refugiente, destituitur: at
partes inferiores, ceu ventriculum, &
inferiorem ventrem, incalescere; eò
enim calor, à corde descendit; vnde
multis excrementa sponte exeunt, &
homines sitiunt 27. *sect. Problem.* Hæc
de Timore,

Tristitia autem, & dolor ipse quo- Tristitia.
que, frigiditatem incutit, per suffo-
cationem scilicet. Cùm enim in do-
lore, ad cor calor refugiat, non tan-
quam inde refluxurus; ibi enim con-
stringitur, ob cordis constrictionem;
quòque Tristitia major fuerit, eò ma-
ior est cordis, & ibi, caloris constrictio:
ob quam compressionem caloris, cre-
brò, ad eum alleuandum, respiramus,
vel vehementer, non crebrò; &
hinc suspiria nascuntur, dum angimur
animo. Quod si, vt tollitur influxus
cordis in reliquum corpus, ex eaque
parte, caloris diffusio prohibetur;
ita caloris eiusdem, per respirationem

euentatio, (quæ tamen impeditur)
 omnino tolleretur, interiret animal,
 vt in maximis doloribus contingere
 fatetur Galenus, & Auicenna. Quo-
 niam itaque per suffocationem, calor
 frigescit, (ex Galeno superius addu-
 cto) & in omni Tristitia, suffocatio
 est, plus minusve, pro Tristitiæ gra-
 dibus; ergo omnis Tristitia, frigiditatem
 excitat. Huic quoque Tristitiæ
 frigiditati attestantur, quæ Tristitiæ,
 veluti eius effectus, tribuuntur à Diuo
 Thomâ I. p. 2. q. 37. vt scilicet ani-
 mum aggrauet; (id enim per suffoca-
 tionem facit) omnem operationem
 debilitet; (calor enim influxum, qui
 est instrumentum omnium operatio-
 nū, prohibet, nocetque summe corpo-
 ri; nam cum frigus faciat, frigus in-
 greditur opera naturæ, vt corrupti-
 uum, vel per accidens.) Et verò vt cor-
 ruptiuum, ad incoctionem relatum, ip-
 sum enim frigus facit incoctionem
 cap. 3. 4. Meteor. & hæc duo, sunt si-
 bi inuicem circulariter causæ, in di-
 uerso tamen genere causæ: Frigiditas
 scilicet & Tristitia: Tristitia enim est
 causa Frigiditatis, in genere causæ ef-

ficientis : Frigiditas verò , est causa Tristitiæ in genere causæ materialis : quare frigidi omnes, quoque tristes, invidi , (sicut inter ætates , Senectus) sunt.

Ex his sequitur Invidiam , frigidam esse , frigorisque inductiuam : siquidem ad Tristitiam reducitur : est enim dolor , ob aliorum bonum : vnde rectè Poëta ille (quicumque fuerit , qui Ludouico Ariosto cantica adiunxit) cecinit, Invidiam hâc, dum virus suum inspirauit, rem gelidissimam pectori indidisse. Et Ouidius describit inuidiam , humi iacentem , pigrè surgentem , atque inertii passu incedentem.

Inuidia.

— *At illa (de Inuidia loquitur)
Surgit humo pigrè , semesatumque reliquit
Corpora serpentum , passuque incedit inertii.*

Misericordia quoque frigiditatem promouet ; nam & ipsa est dolor, ob malum indigni, immeritiue hominis : hincque lacrymas facilè inducit, quòd scilicet vapores , à frigore condensentur in aquam : quomodo etiam pluuia generatur ; atque in capite pituita

Misericordia.

secundum Aristotelem. Minor tamen est suffocatio in Commiseratione, quàm in ipsa Tristitia, vnde non æquè infrigidat : Magis verò suffocare Tristitiam, quam Miserationem, fidem facit id, quod refert Aristoteles de Amasi, qui propter filium ad mortem ductum non lacrymauit, sed ob amicum mendicantem, lacrymas effudit vberes; eò quòd, ibi, spiritus à nimio dolore, suffocarentur; hîc verò, vt in laxiori dolore, exitum reperirent.

Desperatio.

Desperatio quoque frigus immitit, sed non æquè vt Timor, neque vt Tristitia, per se, exque sui natura; nisi forsan per accidens aliquando. Ratio autem est, quoniam Timor, malum impendens respicit. Desperatio, bonum, quod obtineri non potest. Plus autem mouet, malum subire; quàm bonum non obtinere: vnde Iurisconsulti quoque id tritum habent, Non esse parem rationem, damni emergentis, & lucri cessantis: Si tamen rem vllam in immenso amore aliquis prosequeretur, tum per accidens, desperatio amatae rei obti-

nendæ, plus affligeret, quam impendentis periculi præuisio: & amatores, eousque in dilectæ puellæ amore prouehantur, vt magis, quàm mortem, illius horreant despectum, & aliqui à desperatione hac ducti, sibi manus intulerunt, vt de multis celebre est in scriptorum monumentis.

Abominatio quoque, vt quæ nos Abominatio. in fugam coniciat, frigida est, & timori frequenter coniuncta.

Reliqui affectus potius in corde calorem generant, & securitatem. Calor enim qui eam continet sedem, qua speramus, & sapimus, facit vt securo animo simus. Aristoteles *toties citato* I. *Problemate sect. 30.* Et quoniam Cor, secundum Aristotelem, est sedes omnis functionis primariæ, ideo propositio, de calore cordis est intelligenda. Ira siquidem est ebullitio sanguinis circa cor. Ira. Quare hæc affectio non potest frigiditatem intrudere, nisi per omnimodam adustionem: quæ tamen frigiditas, in præsentia, non consideratur: Et hanc frigiditatem, tenuis melancholiæ homines, facillimè subeunt, & omnes in vniuersum,

quicumque sunt iræ acutæ : his enim ob tenuitatem , citissimè pabulum , ab Iræ incensione aduritur , vnde Iram breuem habent , etiam quæ sæpe eos in opere ipso relinquat : plerumque enim eam antequam in pugnam deueniant , decoxerunt , & frigidi in pugna sunt. Nemo itaque sibi socios huiusmodi , armorum eligat , nisi multa prius assuetudine pugnandi sint confirmati : & illi contrà , qui Iræ eiusmodi acutæ , & breuis se esse sentiunt , suspendant iniurię commentationem , atque animi incensionem , quousque in certamen ipsum deuenerint ; ita enim integrum , ad opus ipsum , Iræ fomitem seruabunt , audaciùsque idcirco pugnabunt.

Amor &
Desiderium.

Amorem modò , & desiderium , caliditatem inducere , & calidos affectus esse , notius est , quàm vt confirmatione egeat. Inde illa Poëtarum dicta , quod *sibi flagrans amor , & Cupido , & feruidus tecum puer* : vnde ab amore audaces reddimur. Aristoteles 3 *Physic. cap. 8.* quoniam scilicet cor incalescit : nam audacia calorem requirit. Aristoteles 1. *Probl. 30. sect. calo-*

rem cordis, securitatem facere ait; Sed per adustionem, immodicus amor potest generare melancholiam adustam, non eam, quam hic potissimum quaerimus. Vnde non impossibile fuit, Ariosti fictio, de Orlandi ob amorem infania; & medicina excogitata, mirum apposita est, ut scilicet humore in ampulla illa contento, curaretur. Poëtica enim fictione, pulchrè naturalem crasim descripsit: siquidem adusta, ut quæ omni humore priuata sint, solo humore superinfuso possunt restaurari. Itaque indicauit Poëta, Orlandi vesaniam, ex adustione amoris fuisse obortam. Sed de his, quæ ad rem nostram non faciunt, obiter hæc dixisse sufficiat.

Spes, & Audacia à calore quidem Spes, & Audacia. proueniunt, eumque econtrà corroborant: sed non incendunt ex se, nisi alij affectus, vel Amoris, vel Iræ, coniungantur: siquidem per se sumpti hi duo affectus, non feruntur in obiectum, non illud desiderant; solùm animum vel ad consequendam desiderata, vel ad euitanda non bona, superandave, confirmant. Vnde

ex his affectibus solis , nunquam frigida , vt mihi videtur , melancholia generari potest ; imo appositissimi ad eam auferendam sunt.

Voluptas.

Voluptas extremo loco consideretur : in qua spiritus non incenduntur , sed placido , & leni motu effunduntur , in exteriora membra discurrunt. Quoniam autem calor , aptâ , vel conuenienti euentatione , crescit ; cûmque ea priuatur , extinguitur ; vt præclarè docet sensu ipso , Galenus in lib. de respirat. utilis. cap. 3. & sensu quoque videmus : nam moderata flabellatio ignem fuscitat , incenditque : hinc efficitur vt in Voluptate , cor incalêscat , & reliquum simul corpus , in quod spiritus excurrunt. Quod si tamen tanta esset spirituum effusio , vt cor iis destitueretur , vel omnino , vel multa ex parte , ad sufficientiam ; quod in maximis , subitisque lætitiis contingit , cum cor refrigeratur ; vel oboritur mors , vel animo linquimur , vel animi grauitatem notabilem subinde patimur.

Atque vt fusè hucusque dicta , de frigiditatis causis summatim repetam ,

magisque scientifica comprehensione; dico, Frigiditatem, in nobis supponere caloris imbecillitatem: Calor vero trifariam deest, vel ad interitum saltem aliquò usque tendit, ex suffocatione, ex resolutione, & tertio, ex pabuli defectu; cum scilicet ipsemet calor in pabulum agendo, id consumit, atque subinde ipse marcescit: Voco autem resolutionem, cum calor aliò tendens, vel euaporans, corpus animalis, vel primum eius membrum deserit: Suffocatione igitur, tristitia, & eius species, calorem opprimunt. Resolutione verò immodica lætitia, nec non & timor: nam secundum Aristotelem & veritatem, calor in timore cor deserit; inque inferiores partes descendit. Quamobrem cor infrigidatur, & affectus is meticulosus innascitur. Ex arsione verò, & pabuli adustione, summa ira frigefacit; atque excedens amor. Et hæc de affectibus in proposita quæstione dixisse sufficiat: cum tamen hæc, ad abundantio rem doctrinam addidero, Voluptatem duabus aliis de causis, Frigiditatem incutere,

Primò, quoniam disponit præcordia (vt alias partes) ad eam recipiendam; siquidem, quæ prius incaluerunt, facilius deinceps gelascunt, vt docet Aristoteles 1. *Meteor. serm. 3. cap. 2.* exemplo Ponti accolarum, dum pisces venantur: quamobrem Voluptate iam perfusi, si quæ tum causa Frigiditatis præualens, accedat, vt species aliqua tristis, facillimè frigescent, in multùmque mœrorem adducuntur. Secunda causa est, quoniam Voluptas subsequenter habet Tristitiam, hæc verò refrigerat. Tristitiam autem ex Voluptate sequi, ea causa est, quòd sicut amissio boni, vt malum, sentitur; ita amissio Voluptatis habet rationem, & sensum Tristitiæ, iuxta illud, *extrema gaudij lætus occupat.* Et hinc oritur, quamobrem in primis quadragenarij temporis diebus, graues plerique adeo sint, animo: amiserunt enim recentes Bacchanalium laxationum hilaritates, & voluptates; atque in vniuersum: Quicumque voluptatem vehemētem gustat, eamque vel nunquam amplius, vel non nisi interposito multo tempore, re-

gustare potest, statim post Voluptatem, multa animi grauitate, mœstitiâque opprimitur. Et hanc potissimam arbitror causam, quamobrem animalia, post coitum tristitia afficiantur: amittitur enim eo perpetrato, sensus intensæ voluptatis. Qui ergo ad voluptatem coeunt, non ad bonam corporis habitudinem, vel ad prolem suscipiendam, ab inito coitu, tristes euadunt, nisi statim succedat spes voluptatis eiusdem breui restaurandæ. Potissimum verò, Lætitix & Voluptatis exitus, Mœroris est principium, illis qui de se, tristem vitam agunt: vt qui grauem domi uxorem, vel miseram familiam habent, vel aliqua alia de causa; cum ad sua redeunt, ægram conditionem, & vitam repetunt. Huiusmodi enim homines, cum, Voluptate finitâ, ad consueta redire coguntur, maiori quàm antè, mœrore conficiuntur: verum enim est illud, *contraria iuxta se posita magis elucescunt*, & hoc, illud Platonis in Phædone, confirmat, *De contrariorum per capita iugatione.*

CAPVT V.

De remedijs Tristitiæ.

Postquam explicauimus Causas frigidæ Melancholiæ, restat vt tandem ad Remedia deueniamus. Et quoniam, tristitiam, eius potissimam esse causam comperimus; ideo priori loco huius remedia adhibeamus: siquidem is, qui animum continere aduersus quascunque causas poterit, ne tristitiæ aperiat, hic frigidam melancholiam vel omnino tollet, vel summopere imminuet. Id igitur primò cauere oportet, ne tristitia in nos irrepat, nosque occupet; quod ita euitabimus. Tristitia ex aduentu mali, & amissione boni existimati, oritur, ideoque in nobis est, magna saltē ex parte, statuere, ex quibus & quot rebus tristitia affici velimus. Non enim ex simpliciter malo, tristitia nascitur, sed opinato malo: opinari autem, in nobis est. Quod si hoc est, oportet vt opinio, &

existimatio, his duabus regulis, ad boni & mali iudicium dirigatur: Prima Regula: Vt scilicet, nō multa, bona credat. Secunda Regula: Vt ea pro bonis sibi statuatur, quæ vel non auferri, vel non facilè auferri possunt. Hic fuit vnus Stoïcorum scopus; qui, bona vtilia, & iucundā tollendo, vnum honestum relinquebant: ita enim multitudinem bonorum præcidebant, etiam instabilitatem. Siquidem honestum, in nobis vnus est; & in ea nostri parte, quæ nec vinculis coërceri; neque flagris tundi potest: Ita Epictetus Stoïcus Enchiridion suum exorsus est: Vt sola nostra, bona, in nobisque esse diceret, Opinionem, Appetitū, Conatum, Declinationem, & intima animæ opera: reliqua, tum quæ ad corpus, tum quæ ad fortunas spectant, aliena esse, neq; expetenda, si fœlices esse velimus. Hominis verba, vt rem totam melius exprimentia, appono. *Rerum alia sunt in nobis, alia non sunt. In nobis est Opinio, Conatus, Appetitus, Declinatio, & vt vno dicam verbo, quæcunque nostra sunt opera. Non sunt in nobis Corpus, Possessio, Gloria, Principatus, & vt vno verbo*

dicam, quæcumque nostra opera non sunt. Quæ igitur in nobis sunt, naturâ sunt libera, nec quæ prohiberi, impediriue possint. Quæ in nobis non sunt, ea imbecilla, serua, & quæ prohiberi possint, atque aliena. Si quæ naturâ sunt libera, serua putabis; & aliena, quæ sunt propria, impedieris, dolebis, turbaberis, incusabis deos, atque homines. Si vero, quod tuum est, id solum tuum esse putabis; & alienum, quod re vera est alienum: nemo te coget unquam; nemo prohibebit; neminem culpabis; neminem accusabis; inuitus nihil ages; nemo te laedet; inimicum non habebis; neque enim quicquam noxium experieris. Hæc Epictetus. Vbi apparet Stoicum robur, ex duabus regulis positis, originem duxisse. Aristoteles autem, qui molliorem Philosophiam excoluit, Ciuilem fœlicitatem absque corporis, & fortunæ instrumentis esse negat: & externa, simpliciter Bona dicit; atque expetenda ideò esse, concedit, verumtamen, vt Instrumenta, non vt primaria bona: idcirco requirit etiam ipse, vt eorum indigentia, à viro perfecto, æquo animo feratur, cap. de Magnanim. 4. Ethic. Vnde co;

gimur in Peripatetica via quoque id
fateri, Vt externa, non debeant in
eorum Bonorum numero reponi,
quorum priuatio tristitiam saltem
magnam afferre possit: ita siquidem
de Magnanimo dicit Aristoteles; Vt
neque in prosperis successibus lætitiã
gestiat, neque in aduersis rebus tri-
stitia supra modum obruatur. Sed his
interim omissis, id constat, ad tristi-
tiam fugiendam summopere prodes-
se, statutorum Bonorum, paucitatem,
& firmitudinem: inde Aristoteles 10.
Ethic. prætulit Actiuæ, Contemplati-
uam vitam; vt quæ paucioribus egeat.
Sed non sola Opinio est constituen-
da; neque enim sola sufficit ad mo-
rales actiones: oportet insuper Appe-
titum conformare, ne in existimata
bona, vehementius vel contrã, quàm
opus sit, feratur; & potissimùm, ne
vehementius tendat in bona externa;
quæ plerumque Cupiditas ardet. Re-
media verò cohibendæ Cupiditatis,
duo sunt præcipua & intima. Aliud,
vt motus eius obseruantes, in initio
statim comprimamus, nam imperium
vnusquisque in suos Appetitus habet,

cos in initio cohibendi, si id tentet,
 & per plures vices assuescat. Oportet
 autem aliquando, etiam bonis Cupi-
 ditatibus obsistere, si vehementiores
 fuerint; vt ita, liberum in omnes im-
 perium consequamur. Aliud reme-
 dium est, vt contraria amare tente-
 mus, & aliquibus lenociniis nos ipsos
 pellicentes, aliquam nostri amoris
 portionem illis conciliemus. Verbi
 gratia, vt minus amemus Diuitias;
 Paupertatem vel amare, vel saltem
 non horrere conemur. Et nisi hoc
 possimus, saltem erga mediocritatem
 nos ita disponamus: nam medium,
 habet rationem contrarij, ad extre-
 mum; ita, si minus Venerem expe-
 tere velimus, argumenta quæramus
 cælibatum amandi, & nisi cælibatum,
 saltem coëundi raritatem. Et ad hoc
 idem caput, ex contrario, reducitur, In
 aliquale odium rei desideratæ nos in-
 ducere; quod meditatio prouenien-
 tium ex ipsa malorum apta estingere.
 Hoc facere inducitur in vrbanam
 vitam à Seneca Hippolytus, & potis-
 mum in voluptatem veneream.

*Sed dux malorum femina, & scelerum
artifex -*

Obsedit animos, cuius incesta stupris

Fumant tot Urbes —

Sed hoc secundum remedium me- Se undū
remedium
melius
expouit-
tur.
lius ita exponetur, vt scilicet minua-
mus amorem rei, in quam fertur cu-
peditas. Quatuor verò modis minui-
tur amor; eiusdem rei quæsito odio;
quod, malorum inde prouenientium
meditatione, consequemur: secun-
dò, amore contrariæ rei; vt si, ad mi-
nus amandas diuitias, paupertatis,
vel mediocritatis amorem nobis in-
gerere tentemus: tertio, cognitio-
nem rei tollendo, vel obscurando,
vel impediendo: sine enim cognitio-
ne non oritur, neque perseverat a-
mor: quartò, gustum rei, dum eâ
perfrui mur, ita occasione ferente,
potius animi densatione, obtusum
reddamus; quàm animi laxatione, &
diffusione, in intima recipiamus, &
exfugamus: siquidem multus volu-
ptatis sensus, multum quoque in nos
amoris ingerit; & amor, cupiditatem

incendit, nisi idem, cum ea deponatur: Quamobrem vulgò etiam illi reprehenduntur homines, qui in comendo, bibendove, ob multam voluptatem, quasi ecstasi quadam rapiuntur: Cohibendus est itaque animus, in mediis ipsis delitiis; ita enim voluptas, inde effusa, tenui riuo animum rigat, neque in profundum penetrat. Cognitionis verò inhibitio (quæ tertius erat amoris minuendi modus) potissimum utilis est hominibus sensui deditis erga corporeas voluptates: hi enim dum in illis versantur, animum prorsus diffundunt, etiam profundo hiatu, delectationem hauriunt: quamobrem magis subinde adhærent. Sed animaduertere oportet, cognitionem esse duplicem, ex Arist. 7. *Ethic. cap. 3.* aliam vniuersalem, aliam particularem; & rursus, aliam potestate, & habitu; aliam actu. Vniuersalis modò cognitio rerum naturalium; prohiberi, vel non potest, vel est factu difficillimum: dico res naturales, eas, quas naturaliter appetimus, vt cibum; potum, calorem aduersus frigus immodicum;

frigus econtrà, aduersus immodicum calorem: item Venerem. Ex his igitur, reliquas, quæ cuique necessariæ sunt, vt comedere, bibere; expetendas esse, nemo ignorare potest, cùm natura stimulum, & sensum indat, mox etiam ortis infantulis. De Venerre posset quis ambigere: & ille Florentinus Anachoreta, qui à Boccacio inducitur, ab vniuersali fœminarum cognitione, filium alienum educasse: forsân credidit, stimulos venereos ignorari penitus posse: sed vt exitus fabellæ docet, ad solum fœminarum conspectum, naturalis propensio erupit. Sed hæc quæstio aliis relinquatur, Vtrum in solitudine educatus homo ab infantia, veneris stimulos persentiret: Ego autem meam sententiam aperio: Crederem, persensurum, eadem naturâ docente, quæ animalium bruta instruit, vtque dicit Poëta ille.

*Omnibus incutiens blandiam per pectora
amorem,*

*Efficit vt cupidè generatim secla propa-
gent.*

Non debemus ergo cognitionem vni-

uerſalem rerum naturaliter expetibilem impedire ; rem enim in irritum ceſſuram contenderemus : ſed particularem plerumque ; & vniuerſalem, ne in actum deueniat aliquando, prohibere debemus. Rem vtramque aliquanto latius explico, & primò, quam particularem cognitionem auferendam, & impediendam crediderim : Dico igitur, & in re venerea optimum fore, ſi ab aliqua Ciuitate, & Republica tolleretur omnis memoria nefandi cum maribus concubitus, ſicuti omnis inceſtus, & omnis adulterij : ſique id fieri nequeat, ſaltem ; eorum cognitio, vt rerum malarum, & deteſtandarum induceretur, atque ita, ora omnium perſonarent. Pro qua pulcherrima veritate, Diuini Platonis teſtimonium adducamus. *In ſeptimo de Legibus* ita dicit : *At conſtat nunc quoque plures hominum, quamuis iniqui ſint, bene, ac diligenter, & ſponte à puerorum coniunctione ſe ſe abſtinere.* ΜΕΗ. *Quando id fit ?* ΑΤΗ. *Quando frater aut ſoror eximia pulchritudine alicui ſit, à filio quoque filiaque lex eadem, quamuis ſcripta non ſit, ſufficienter repellit prohibetque, &*

manifestum, & furtiuum istorum concubium: imo. vero facit, ut ne cupiditas quidem illa, rei huius, vulgus aggrediatur. MEH. Vera narras. ATH. Vnum ego verbum, atque breuissimum; omnes huiusmodi voluptates extinxit. MEH.

Quid illud? ATH. Quod fas nihil horum esse dicitur, sed apud Deum, odio haberi, & omnium turpius, esse turpissima. Causa autem nonne est hæc? quia nemo aliter prædicat, sed statim ab ineunte ætate, & ioco simul, & seriò dicta, & sæpius in tragædiis hæc eadem audiuntur, quando vel Thyestem, vel Oedipodem, vel Macareum, mortem sibi, debitam sceleris pœnam, consciuisse, propter huiusmodi verberem, narrant. MEH. Rectè istud dictum est. Miram enim famæ potentiam nouimus, quando nemo aliter, quàm iubeat lex, ne respirare quidem audeat. ATH. An non rectè dictum est à nobis, quod volenti Legislatori cupiditatem aliquam earum, quæ vehementius sibi subigunt homines, rationi subiicere, facilis cognitus modus est? Quippe si famam huiusmodi apud omnes seruos, & liberos, masculosque, & fœminas, & uniuersam Ciuitatem, quasi sacrum quoddam dicauerit, firmissimam

hanc legem efficit. ΜΕΗ. Ita prorsus.
 Hæc Plato : Cætera quæ subiungit,
 quomodo lex huiusmodi, & fama om-
 nibus suadeatur, in omniumque a-
 nimos infundatur, penes ipsum legan-
 tur. Cognitionem itaque particula-
 rem tollere, salutaremve reddere, ita
 potest facilè Legislator, illis argumen-
 tis, quibus docet Plato. Et licet nos
 de Venereis locuti solum simus, idem
 de cætero luxu est vniuersè dicen-
 dum. Qui autem speciatim instituunt
 homines, vt Parentes, filios; hi neque
 tollere cognitionem, nèque adeo sa-
 lutarem reddere valent. Aristoteles
vlt. cap. 10. Ethic. videatur. Retarda-
 re tamen possunt, atque ad contra-
 ria primum ire animum; vt is solidior
 factus, bonisque opinionibus affue-
 tus, non adeo permoueatur à contra-
 riiis, cum eas tandem audierit : Ca-
 ueant ergo diligenter Parentes, qui-
 buscum versentur filij, quidque e-
 iusmodi, ipsorum socij prædicent; &
 præterea non patiantur, libros turpes
 legere; etiam illos, qui ex toto boni,
 aliquod turpe contineant exemplum.
 Verbi gratia, Plutarchi vitæ sunt ho-

nestæ, sed vna Cæsaris Dictatoris vita, totum librum à cognitione puerorum semouendum facit, cum ibi scribatur, fuisse, tantum alioquin virum, foeminae instar, à Nicomede compressum. Exemplum enim huiusmodi, cognitionem particularem nefandi concubitus facit, quem quodammodo patientis auctoritate excusat. Et id tandem sciant, quicumque pueris ad virtutem consulunt opiniones, & præcipuè voluptate fultas, altiùs in teneros puerorum animos descendere, vbi coalescentes, quasi innatae euadunt, & illud Horatianum oboritur.

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem

Testa diu.

Hor. lib. 1.
epistolarum
epist. 2.

Et Virgilius.

Adeo in teneris consuescere multum est.

Virgil.
Georg.
lib. 2.

Ita de cognitione particulari tollenda, vel differenda, vel rectificanda, dictum generatim sit. Alij, qui id cupiunt, particularia magis, deducere poterunt ex iactis principiis.

Ne modò cognitio habitualis in actum deueniat , magis est in singulorum manu , ideoque est hæc vtilior meditatio ; quæ vt clarior habeatur, hæc supponimus. Cognitio triplex est in nobis , si per facultates in quibus fit , distinguatur. Alia , est animæ rationalis ; alia , est sensuum quinque exteriorum ; alia & media , est sensuum interiorum. Cognitio interiorum sensuum , siue plurium facultatum fit , siue vnius (nihil in præsentia refert) in vniuersum per phantasma fit. Voco verò phantasma , simulacrum rei , iisdem sensibilibus accidentibus distinctum , ab hoc , & nunc , vt dicitur, depuratum , quod picturam vocat Plato *in Philebo*. Nam id verè est phantasma Solis , quod in tabula , vt imaginanti apparet , representatum Solem ipsum intuentibus referret. Aristoteles igitur *lib. de motibus animalium cap. 5.* vult appetitum omnem , sensitium scilicet , perturbationes , & affectus , ab imaginatione immediatè exoriri. Sumit autem tum pro imaginatione , sensum interiorem in vniuersum : Hanc autem imagina-

tionem, inquit fieri ab intellectu, vel à sensu: Vt hinc constet, nisi phantasma concipiamus rei, aut personæ alicuius, non posse nos ad eam aliquo affectu moueri. Vbi tamen est animaduertendum, siue id repetendum, quod *in lib. de Affectibus*, diximus, nullum Affectum perfectum, sine imaginatione oriri: at imperfectos quosdam, ex solo sensu ducere originem, qui Titillationes quædam potius, quàm Appetitus vocâdi videntur. Et exemplum alicuius eorum, est pruritus carnis, cum in partibus veneri destinatis, & corporeis, tumultum illum, & fomitis sentimus accensionem. Verùm, vt *citato loco* admonui, hic, de se est debilis, nisi ab imaginatione opes acquirat; quam imaginationem ipsemet excitare, & imprimere potest: & nisi celerrimè occurratur, imprimit. Ex his omnibus, id est in præsentia supponendum; sine præsentate phantasmatis speculatione non accendi, excitariue in nobis Cupiditatem, aut Affectum alium alicuius momenti. Quò verò phantasma fuerit diligentius, & specialius delineatum,

eò magis mouet ; & quò obscurius
 expressum , eò minùs : Ex his dedu-
 citur Canon propositus ; Vt scilicet
 cum anima , rem priùs cognitam de-
 siderauerit , comprimamus phantaf-
 matis rei illius exortum : vel , nisi o-
 mnino comprimere valeamus , saltem
 iam natum obscuremus , & à singu-
 laribus personis , quò magis possumus ,
 suspendamus. Vide Gal. *lib. 5. de De-
 cretis Hippoc. & Plat. c. 6.* hoc idem , ex
 Possidonio asserentem : & hoc agnoue-
 runt omnes illi , qui animo expurgan-
 do operam dederunt , in hocque inti-
 mo agro auerruncando toti fuerunt.
 Vnde Ioannes Cassianus eadem mo-
 nuit *lib. de fornicat. cap. 13.* *Hæc erit ,*
inquit , purgationis huius prima custodia ,
*ut cum menti nostræ memoria sexus fami-
 læ per subtilem suggestionem diabolica cal-
 liditatis obrepserit , primùm recordatione*
premissâ matris , sororum , parentum , seu
certè fœminarum sanctarum ; quantocius
eam de nostris recessibus extrudere festi-
nemus , ne si fuerimus in ea diutius im-
morati , occasione sexus semel indepti , illex
malorum ad eas personas ex inde subtili-
ter deuoluat , ac precipitet mentem , per

quas, noxias cogitationes possit inferere.

Hæc Cassianus. Perniciosum itaque est, phantasma, & simulacrum aliquod, altis nimium radicibus in animo succrescere, quemadmodum in animis amantium, imago personæ amata imprimitur. Aliqui enim eò deueniunt, vt quidquid viderent, vbiicumque essent, semper amata res, præ oculis versaretur, quod Franciscus Petrarcha de se in Italicis Odis fuit testatus. In summa itaque, Quicumque ab ardente rei alicuius cupiditate abstinere vult, etiam si res prius cognita fuerit, oportet disturbare rei phantasma; ne phantasiam occupet, si fieri possit; vel saltem obscurè solùm, & confusè occupet, nisi omnino impediri aut auferri queat. Et ita, impediatur habitualis cognitio, ne in actum deueniat, eo saltem modo, quo possit affectus animi fouere. Phantasma verò duplici ab origine procedit, ab intellectu, & à sensu, sed efficacius à sensu; vnde definitur, *Imaginatio motus à sensu in actu factus; & inter cæteros sensus, Visus maximè imprimit imaginem, & phantasma,*

vnde, à lumine, penes Græcos, nomen duxit: & hinc, illud est verum, *Oculi augent dolorem*; & Antonius, populum Romanum contra Cæsaris occisores incendit, explicatâ, atque ostensâ illi, veste, qua indutus, confusus fuit: & Narcissus, Claudij libertus, nunquam passus est, Messalinam ad mariti conspectum admitti; certus, mollem Claudij animum, & amore faucium à præsentè exoratum iri. Abstinentium itaque est ab aspectu rerum, ad quas expetendas sumus proni; ab aspectu inquam potissimum, sed à cæteris quoque sensibus. Hæc de minuendo amore in præsentia factis, aliâs rem latius prosequemur. Atque hucusque prima velut principia Tristitiæ præcauendæ iecimus. Restat vt ea, quæ magis ad pellendam faciunt, apponamus. Vnumquodque igitur, triplici de causa expellitur, vel Deriuatione, vel Contrarij actione, vel Vtraque. Exempli gratia; aliquis aquæ riuus Deriuatione exsiccat, cum aliò aquæ fluxum dirigimus, exque priori loco defluere facimus. Actione autem contrarij tollitur, si ab

intenso Solis calore, vt in maximis æstibus, exsiccat. Vtroque autem modo, si Deriuatio, & Exsiccatio concurrant. Eodem modo, Tristitia duobus modis simplicibus, & tertio composito deducitur. Singulos percurramus.

Deriuatio igitur Tristitiæ est, cum Deriuatio.
causam ipsius coniunctam educimus. 110.
Causa coniuncta, triplex; materia, forma, & effectrix emanans. Materialis causa, est pars corporea, qualitate, vel quantitate, calorem cordis opprimens. Cum ergo aliquid rei cor opprimentis, educitur, materialis causa minuitur: hinc, suspiria aliquatenus leniunt dolorem; vt per quæ, non nihil materiæ effluat; licet tantundem statim inspiretur; ideoque rursus alio, & subinde alio suspirio egemus. Lacrymæ multò magis auxiliantur, vt quæ maiorem materiæ portionem, neque recidiuam, educant. Aliquando igitur vniuersum dolorem tollunt, semper leuant; vt non iniuria dictum sit ab Arist. in 1. Rhetor. cap. de Iucundis; in lacrymis, quandam voluptatem inesse; atque ita, lamentationes,

& gemitus , dolorem leniunt : quoniam & voces, quandam auferunt materialis tristitiæ causæ portionem. Forma tristitiæ , est ipsamet affectio, & dispositio sensitiuæ animæ , perturbationibus his obnoxia. Quæ dispositio, & ipsa , Contractio, per quandam similitudinem vocatur ; & à quibusdam Aggrauatio. D. Thomas p^a. 2^a. q. 37. *in corp.* Hæc autem Aggrauatio animi , Contractioque non potest, nisi per metaphoram, deriuari: eritq; Deriuatio, cum animi inclinatio aliò tendit : vt verbi gratia , cum aliquid noui offertur , quod animus ad se rapit : & ego vidi œconomum , admodum chrimatissicum , qui ob curam procurandi funeris vxorij, soluendæque in eam rem pecuniæ , à dolore eiusdem mortis , quam plurimum auocabatur. Quando vero dolor est notæ supremæ , cum scilicet deduci aliò nequit animus , nisi ob temporis diuturnitatem ; siquidem , neque corpus nostrum , neque anima sensitiua, eundem statum diutius retinere potest : siue melius dicemus hoc modo, Corpus nostrum non potest retinere

eandem constitutionem diutius : neque anima nostra sensitiva , quoad cognitionem , in idem phantasma perpetuò defigi ; neque quoad affectus , & appetitus , eodem modo disponi : vnde quemuis summum dolorem tempus tandem tollit. Seneca *de consolatione ad Marciam cap. 8.* & de hac humana instabilitate Aristoteles *cap. ultimo septimi Ethic.* Impedit Derivationem aliquando, conatus ipsius dolentis ; aliqui enim sibi suadent. (Seneca *epist. 63. est aliqua & doloris ambitio*) turpe esse , non ex animo dolere , vnde animum , vel inuitum , in molesta dispositione continent. Quam opinionem , qui consolaturus accedit , leniter primò depellere , & dissimulandò , debet. Alio modo hæc animi dispositio , & Tristitiæ forma , tollitur ; offundendo animum aliquà voluptate. Sed hæc , est Expulsio per Contrarij actionem , non Derivatio. Inter Derivationes vero magni doloris , potissima est Commiseratio : hæc est enim primus gradus , in quem animus , dum diffunditur , ex summa contractione , deuenit.

Quos gradus Aristoteles 2. *Rhetic. cap. de Commiseratione*, in Amasi expressit, qui propter filium non fleuit, amicum mendicantem, est lacrymis prosequutus. Primum dolorem, & doloris causam, vocat Aristoteles, atrocem: secundum, miserabilem. Et hoc forsan artificio Seneca ad Heluiam matrem *cap. 2.* omnia loca congesit doloris eius refutandi, vt scilicet animum in commiserationem diffunderet; etenim ex Commiseratione, lacrymæ, quæ animum, vt iam diximus, leuant; ita vt, ex Commiseratione, & formalis tristitiæ causa, & materialis minuatur. Vnde Seneca *epist. 99.* *Excidunt etiam renitentibus lacrymæ, & animum profuse leuant. Quid ergo est? Permittamus illis cadere, non imperemus: fluant quantum affectus eiecerit, non quantum posset imitatio.* Sed potissima omnium Deriuatio, est Ablatio causæ effectricis emanantis, quæ est, Conceptio, & Imaginatio mali præsentis: cum enim hæc Conceptio tollitur, tum Tristitia aufertur; & quoad materialem causam, & quoad formalem: sicuti cum Sol in aliud Hemispharium

sphærium deuoluitur; lux etiam, ex hoc nostro, recedit. Triplex autem est huius auferendi modus. Primus, cum malum ipsum recedit; ut cui est præsens mors denunciata, cum liberatio superuenit: idem est, si recessisse credatur; ut cum credulis amatoribus refertur, amari se iam ab amata muliere, quæ illuc usque in odio perseverauerat: in cuius rei fidem, falsa munuscula afferunt. Secundus est, cum conceptio, & imaginatio tollitur, vel supprimitur, atque ita somnus ægritudinem leuat, nam dum dormimus, à cogitatione tristi vacamus. Longiùs iuuant, si quæ obliuiosa, essent diuturniora, absque corporis læsione; quale ad breue tempus, sumi solitum à Selimo Turcarum Imperatore, ad animum remittendum, legimus. Tertius modus est, si res ipsa perseverat, sed quæ ab initio, ut mala, concepta fuit, mox ob assuetudinem, talis esse desinat; verùm ut bona, occurrat, & sentiatur. Hoc patiuntur plerumque teneræ virgines, quæ ob parentum autoritatem, barbaris hominibus, & prouectioribus æ-

tate nubunt : ab initio enim , maritos ,
 vt rem moleſtam , concipiunt , inde-
 que flent , & triftantur ; ſed mox ip-
 ſos expertæ , & iucundos naçtæ , tri-
 ſtitiam in lætitiam mutant. Ad hoc
 etiam caput reducitur , cum quis ab
 aliqua moleſtia oppreſſus , in librum
 incidit , vel hominem , qui rem à qua
 affligebatur , malum non eſſe oſten-
 dat ; atque ita , deponatur conceptio
 rei vt malæ , à qua triſtitia orieba-
 tur.

Hæc de Deriuatione : modò Expul-
 ſionem , per actionem contrariam , ag-
 grediamur. Hæc etiam tripartitur.
 Considerari enim poteſt expulſio cau-
 ſæ materialis , vel formalis , vel effe-
 cticis emanantis. Verùm quoniam
 omnes hæ expulſiones , à contraria
 voluptate , vel à non contraria , ſed
 vehementi , fiunt , ideo de hoc com-
 muni prius remedio agamus ; ſi quæ
 autem erunt vni cauſæ generi pecu-
 liaria , poſtea considerabimus. Volup-
 tas igitur contraria , dolorem tollit ,
 & quælibet alia , ſi vehemens ſit. Hoc
 aſſerit Ariſtoteles *ultimo cap. 7. Ethic.*
 atque inde rationem reddit , quam

Expulſio
 per actio-
 nem con-
 trariam.

obrem atrabilares homines, & melancholici, plerumque intemperantes euadant: cum enim perpetua quadam tristitia, ob humorum acredinem, infestentur, coguntur, ad medelam, voluptates quærere, atque eas vehementes, vt vehementem tristitiam expellant. Sed rem specialius pertractemus. Tristitiæ, Voluptas contraria est, cum ex iisdem est rebus; vt Tristitiæ ob Paupertatem, aduersatur Voluptas ex Diuitiis, quæ in eisdem sunt bonis; hæc ob habitum, illa ob priuationem. Nedum vero aduersatur Voluptas ex Diuitiis actu habitis; sed etiam ex habendis, quæ est Spes. Quare Tristitiæ, duas cōtrarias Voluptates opponere contingit, Voluptatem ob præsens bonum, quæ propriè est Voluptas; aliam ex futuro, quæ est Spes. Memoria boni præteriti, seorsum est iucunda, ex Aristotele *cap. de iucunditate* 1. *Rhetoricorum*; sed in comparatione contrarij mali præsentis, dolorem auget: vnde in pauperiem delapsis præteritarum diuitiarum memoriã, summo opere dolorem cumulat. Et Milonem Crotoniatem, alioquin sanum,

sed pro senectute imbecillem, defleuisse legimus (cum recordaretur præteriti roboris) præsentem lacertorum imbecillitatem. Hinc iuvenes, ex Spe, parum tristantur, etiam si in aliquas aduersitates incidant. Cum enim sint Spei pleni (Aristoteles 2. *Rhetor. cap. de iuuentute*) Voluptatem ex Spe, Tristitiæ ex præsentem malo obiiciunt. Unde hæreditates, quæ in eorum arbitrium veniunt, facilè pereunt: præsentem iacturam, Spes eadem sustinet, atque consolatur. Calidi etiam temperamenti homines, eadem ratione; quoniam sunt bona spe pleni, resistunt infortuniis, & doloribus; & nos vidimus Pandolphū Spranium in summa rerum inopia, carcere clausum, tamen semper benè de rebus sperauisse, fortique animo, & alacri, fortunæ impetum pertulisse, & tandem superauisse: homo enim erat tenacis cuiusdam caloris, quem, ipsius firmitudo animi, in pugnis, bellicisque periculis, claro semper indicauit argumento. Hoc eodem Spei beneficio, sed excellentioris, quascunque fortunæ incursiones pertulerunt pij illi

homines, qui omnes suas spes in Deo collocauerunt, vt facer ille Poëta cecinerit. *Qui confidit in Domino, sicut mons Sion, non commouebitur in aeternum, qui habitat in Ierusalem. Et, In te Domine speraui, non confundar in aeternum.* Vnde Dauid idem tot Saülis insequutiones, & infidias pertulit, atque superauit, huius vnus Spei virtute, & robore. De Contraria igitur Voluptate, vidimus; de Vehemente, non Contraria, dicamus. Voluptas autem Vehemens hic à me vocatur, non solum, quæ plurimi est sensus, verùm quæ plurimum ad se animum rapit. Aliquæ enim voluptates sunt, vel nihil, vel parum ad sensum pertinentes, quæ tamen totum animum impleant, ad seque protrahant; vt Contemplandi voluptas. Arist. *de partib. animal. cap. 2.* dicit: *Natura parens & auctor omnium, miras excitat voluptates hominibus, qui intelligunt causas, atque ingenuè philosophantur;* Et ea, quam ex studiosa operatione viri probi sumunt, quam cum fœlicitate coniunxit Aristoteles 7. *Ethic. cap. 13.* Summa vero inter omnes, est Voluptas, qua viri Sancti fruuntur,

dum mens eorum supra omnem mortalitatis sensum eleuata; ceu profunda tenebrosaque superata valle, in aperta diuinitatis serenitate versatur, ibique summi Solis aspectu fruitur; illuminatur lumine; incenditur, atque ab omni affectionum pondere purgatur calore; & tandem mira suauitate recreatur. De quo statu, Basilii Magni in epistola ad Gregorium ea dixit: *Quippe mens nec extrorsus dissipata, nec in mundum per sensoria diffusa, ad se se ipsa redit, moxque suo pte nutu ad Detractionem euadit: quo fit, ut illo decore illustratus undique intellectus, atque superne illuminatus, natura quoque ipsius obliuione capiatur, nec ad cibi iam curam demittat animam, nec ad amictus anxietatem.* Ut igitur ad rem redeamus; Voluptas Vehemens definiatur; atque intelligatur hic, ea, quæ animum ad se valde rapit. Huius autem generis Voluptates, aliæ sunt Puræ, aliæ Impuræ; aliæ Animi, aliæ Corporis. Dolor itaque animi, & tristitia; à vehementi voluptate, quæcunq; illa sit, tollitur; dum tamen vehementia voluptatis, vehementiam doloris superet.

nam si è contra, potius intenderetur ex voluptate, dolor. Ratio verò, cur quæque voluptas vehemens, quemcunque dolorem tollat, etiam non contrarium; est, quoniam causæ doloris, materialis, & formalis, expelluntur: effectrix etiam emanans, nisi tollatur omnino, saltem durante voluptate, sopitur: causa autem materialis, & formalis tollitur; quoniam hæc, est animi aggrauatio; illa, est cordis, & eius caloris compressio. In voluptate, animus diffunditur, & spiritus è corde effunduntur: Vnde si præualeat voluptas, oportet vt causæ tristicæ, formalis, & materialis expungantur: Causa vero emanans, scilicet mali præsentis conceptio, à conceptione boni præsentis, nisi expellatur omnino (quod rarò fit) saltem voluptate durante supprimitur. Hinc constat, multò aptius remedium ex voluptatibus Puris haberi, quam ex Impuris. Impuræ enim voluptates, vt quæ sint ob indigentiam, & ideò motus in naturam; cessant statim atque ad terminum ad quem peruenerunt. Breuissimæ itaque sunt, vt sensu vi-

demus in coitus, comestionis, & aliarum huiusmodi rerum voluptatibus. Ideo Mahometes pseudo-propheta, digniores voluptates, quam has, mortales, beatis in Cælo hominibus tribuere volens, dixit, ibi cum pulcherimis fœminis, perpetuam fore coëundi facultatem; & singulos coitus, quinquaginta annos duraturos: dignas profectò propheta Mahomete, & credentibus in eum, voluptates. Sed voluptates puræ durant diutius, & facillioris sunt reparationis, & dum interdum omittuntur, memoria præteritæ, & spes futuræ eiusdem lætitiæ, recreat. Quod in impuris, contrario modo fit. Nam cessante, & finito coitu, animal sponte tristatur, & ingruente prioris tristitiæ causa; eadem, quæ prius, & maior plerumque renascitur. Idem de comedendi voluptatibus. Nam post comestionem ad saturitatem, obruitur plerumque immodicâ tristitiâ homo, vt nonnulli etiam mortem sibi ob id intulerint, vt Aristoteles testatur *probl. 1. toties citato sect. 30.* Quare moneo omnes homines, sed potissimum eos, qui tristes

natura sunt, frigidæque melancholiæ, vt familiarem sibi aliquam internam voluptatem ex Puris, quarant, atque constituent: vel voluptatem contemplan- di, vel eam quæ ex animi Morali constitutione oritur: quam Stoici omnes tanti fecerunt, vt hominem animi benè constituti, cum Ioue contulerint, si oratoriè, non inepta hyperbole vsi; si verò philosophicè, superbè nimis. Quæ tamen superbia declararet, quantum boni, & tranquillitatis in animo, ex virtute composito reperiatur, qui illi vacat. Voluptas Peripatetica, ex Morali Virtute, aliquanto exterius vergit; ad operationem enim venit, quæ, cum instrumentis egeat bonorum externorum, potest aliquando ab iniuria fortunæ interrumpi. Ideo Aristoteles *cap. 10. 1. Ethic.* in Priami calamitates incidentem, negat beatum. Verumtamen, quia nunquam potest ab animi operatione destitui virtus, saltem constantiæ, in repugnando, & resistendo aduersis, vir probus semper pro facultate optimè operatur: vt futor, ex datis coriis pulcherrimum cal-

ceum facit; & dux, præfenti exercitu, virtute bellica, vtitur: & propterea vir probus, nunquam efficitur miser, secundùm eundem Aristot. dicto cap. 10. 1. *Ethic.* à quibuscunque aduersitatibus, & infortuniis circumueniatur. Medium itaq; habitum proba animi constitutio, inter lætitiã, & dolorem conseruat secundùm Arist. siue immediatè, siue mediante potiùs operatione, verùm mediãte operatione, quæ necessariò consequitur ipsam animi probam constitutionem: ita vt animus ex virtute cõstitutus, à tristitia securus euadat, etiam secundùm Arist. nisi lætitiæ certus, vt Stoici asseruerunt. Vtraque autem assertio veritatem nanciscitur in diuersis virtutis gradibus: nam in ciuili gradu (de quo loquitur Aristoteles) non est lætitiã, nisi ex operatione ciuili non impedita; qualem vir infortunatus præstare non potest: in virtute purgatoria, vel purgati animi (quam etiam penes Aristotelem concedendam, sub cap. de virtute ostendemus, in curat exord.) est lætitiã ex proba animi constitutione, eiusque interiori operatione. Vel

ergo quærant sibi homines, & statuunt voluptatem internam ex contemplatione, vel ex animi morali constitutione, vel tertio ex intima cum Deo familiaritate, quæ cæteras omnes voluptates diuturnitate, firmitate, & puritate superat: sed hæc à facris petantur libris. Non possum tamen me continere, quin rationem pro hac tertia assertione adducam: Est autem operatio ex virtute, optima, & suauissima, & fœlicissima omnium reliquarum, secundum Aristotelem *in 1. & 10. Ethic.* sed virtutes Theologicæ, & inter eas Charitas, est nobilior reliquis virtutibus omnibus, tum moralibus, cum inspectricibus. Ergo operatio ex charitate est suauissima, & fœlicissima omnium aliarum operationum. Unde conicere licet, quæ fuerit tranquillitas, & fœlicitas Antonij, Pauli, & reliquorum Anachoretarum in mediis solitudinibus, in omni rerum inopia: dum Dei amore, miris modis exardescerent, vnum Deum meditabantur, cuius luce, & bonitate, toti perfundebantur. Sed vulgò, homines, & potissimum melancholici, pro puris

impuras, próque internis, corporeas voluptates sequuntur, vt opprimentem tristitiam fugent, vt dicit Arist. *cap. ult. 7. Ethic.* qui dum voluptate occupantur, respirant à tristitia: sed ea scitissimè cessante, tristitia violētior redit, ex dictis suprà *cap. 4. in fine*, atq; ita, pro pharmaco venenum sumunt. O cecam hominum mentem! Vniuersa autem Epicuri Philosophia, ars fuit internæ voluptatis inuestigandæ, & conciliandæ, neque ad externas voluptates, nisi vt in internas facilè refluebant, deueniebat. Et tamen homines quò nobiliores, quò principatus fastigio propiores, eò magis extrorsum se effundunt, nihilque nisi externas voluptates gustant, vt non minus corpus vestibus preciosis, palatia superbis aulæis exornent, quàm diuinam mentis effigiem, eiusque augustum, & capax Diuinæ veritatis, & bonitatis tabernaculum, fœdè deturpent. Sed nimium digredimur: Redeundo itaque, Tristitia tollitur à contraria voluptate, tum etiam specie; & aufertur quoque à voluptate, vehemente; non contraria: cuius occasione, ostendi-

mus, voluptates internas, & puras, impuris, etiam aliunde pendentibus, ad id esse aptiores. Propterea modò dico, increpationes etiam virorum grauium, mollitiem nimij doloris exprobrantium, dolorem aliquando tollere: etenim contractum animum disiciunt, quinimo efficiunt, vt animus ipse, detestatam mollitiem effugiens, se se diffundere conetur. Verum oportet, vt ideò hîc (quod in omni actione) seruetur, vt scilicet agens sit patiente efficacius; aliàs augeret potius, quam minueret, dolorem.

Timor quoque magnus, mœstiam aptissimè fugat; quod ratio, & experientia docet. Ratio autem; nam cùm in dolore, spiritus in corde comprimantur, contrahaturq; cor ipsum, vnde calor eius, euentatione impeditâ, quasi suffocetur: In Timore, calor à corde refugit in inferiora, vnde suffocatio tollitur. Experientia vero id apertè ostendit; nam in peste, filij, patres morientes, & matres refugiunt; mariti, vxores siccis oculis mortuos intelligunt, ob timorem debacchantis mortis, quem si depelle-

res ab iisdem funeribus, summo mœ-
 rore conficerentur. Tristitia aliquan-
 do ex nimia animi diuturnioreque
 intentione oritur: siquidem defati-
 gantur instrumenta ex operatione
 frequentiori, & diuturniore. Defati-
 gatio, verò cùm malum quoddam sit,
 sensu intimo cognoscibile, præsen-
 tem facit mali præsentis conceptio-
 nem, atque ita quoque tristitiam;
 & hinc est, quamobrem post immo-
 dicam commentationem, & post diu-
 turnum studium animo graues simus,
 causam plerumque ignorantes: nam
 cum defatigatio intimè fiat, cognos-
 citur quidem, & sentitur à sensu in-
 timo, vt malum, sed effugit, quæ
 nam sit formalis ratio mali; ideóque
 inter spontaneas mœstias reponitur:
 Huic itaque malo, remissio animi oc-
 currit, quæ omnibus plus minusve
 necessaria est, vt eam, ad puerilia vs-
 que à Scipione, & Lælio vsurpam
 legamus. Et eâ magis adhuc egent,
 qui litterarum studiis, & rerum co-
 gnitioni vacant: nam animus, in a-
 gēdo, plus distrahitur, in contemplan-
 do verò, plus intenditur. Destinatur

itaque suæ remissioni, horæ, quas adhuc augeamus, si maiore nos quiete egere, non ob mollitiem, sed integro iudicio, intelligamus; & Anachoretas illôs, viros sanctos, ad animum laxandum, alios stœreas, hos sportas, caueasve texuisse; alios hortulum coluisse legimus. Et hoc postremum remissionis genus, modò Capùcini vocati sequuntur. Qui vero absque vlla laxatione perpetuo defixum tenent in contemplationibus animum, vel in morbosam tandem melancholiam incidunt, vel in ingenij quandam hebetudinem, vel obliuiosi redduntur. Ad relaxationem hanc reducuntur ioci, somnus, spectacula, balnea, discursus, locorum mutatio, & cætera huiusmodi, quorum etiam nonnullorum meminit D. Tho. *quest. 305. prima secunda.*

Sed de spontanea tristitia quis hic quæret, quam non ex mali alicuius opinione præsentis, aut impendentis subimus, sed absque vlla omnino causa, quam nos sciamus; meminit huius tristitiæ Aristoteles *Problem. citato I. 30. sect. C. I. de anima, text. 14. Fit*

enim saepe numero, inquit, ut angamur,
 & animo succumbamus: sed cur ita, nul-
 lam reddere causam habemus. Hæc tamen
 tristitia, quæ sine causa nobis vide-
 tur, causam habet, quæ Materialis
 est: hæc enim, est prima huiusmodi
 animi grauitatis origo. Rem hanc
 plenius pertractauimus in lib. de Af-
 fectibus: sed eam tamen hic repeta-
 mus, quousque ad assignanda reme-
 dia sufficiat. Repetamus autem, Tri-
 stem sensationem cuiusque sensus,
 in primum sensorium, hoc est, secun-
 dum Aristotelem, in Cor, refluere, ibi-
 que tristitiam generare. Quamobrem
 cum sensus tactus, in intimas quas-
 que corporis partes penetret, cum
 humor aliquis, vel vapor, aut Mul-
 titudine, aut Frigiditate, aut Acre-
 dine, aut aliâ sensibili qualitate exce-
 dente, aut prauâ lædit diaphragma,
 vel partes potissimum cordi propin-
 quas; tristitia in primo sensorio, pro-
 indeque in anima sentiente, gigni-
 tur. Si autem læsio intimarum par-
 tium ad multum sensus excessum pro-
 grediatur, ut continui soluatur vni-
 tas, vel ad aliquem satis conspicuum
 doloris

doloris gradum deueniat, tum dignoscitur tristis, tactus sensatio: atque dolorem, seorsum ab animi tristitia enunciamus, suppetiasque à Medico petimus. Sed si non eatenus procedat, tum tristem sensationem tactus, à tristitia primi sensorij, atque animi ipsius, non discernimus; atque ita grauitatis animi causam ignoramus. Præterea verò scimus etiam, in tristitia, cor opprimi, & nimium coarctari, atque calorem, à copia spirituum, & arctitudine, pene suffocari. Si ergo spiritus, & vapores, ab aliqua causa alia, quàm ab animi iussione, in cor refluant, ipsumque, & eius calorem opprimant, tristitia gignitur, absque causa nobis conspicua; nam spirituum, & vaporum progressus, & incrementa, omnes latent; solum ab hominibus sapientibus, non sensus obseruatione, sed rationis indagine comprehenduntur: ita vt duplex causa hinc appareat, originis tristitiæ spontaneæ, ratione causæ materialis: nempe Suffocatio, vel Oppressio cordis, eiusque caloris, à spirituum, & vaporum multitudine. Se

cunda, à tristi sensatione tactus, eius qui in aliqua intima parte, cordi potissimum propinqua, reperitur, non adeo tamen intensa, ut seorsum à primi sensus affectione dignoscatur. Lætio vero tactus, partium huiusmodi, est vel à frigore; nam frigus omnibus interioribus partibus, & potissimum cordi propinquis, est repugnans; (siquidem partes internæ, & illæ præcipuè, sunt calidæ) vel ab acredine; vel ab aliqua alia non naturali qualitàte; siue præternaturali caliditatis gradu; ut ab excedente calore, qualis in febribus inexistit. De spontanea suffocatione, nobilem olim historiam audiui de se ipso, ab Hieronymo Quirino, nobili Veneto. Narrabat igitur, se, olim Romæ conualescentem, à viris nobilibus officij causa inuisum esse; ubi cum latè cum illis ageret, ex improviso, repente, tristi animi gravitate oppressus fuit; ut nec loqui amplius, nec interrogatus respondere velle posset. Quo in statu, cum dimidiæ horæ spatio commoratus esset, tandem spontaneæ lacrymæ copiosissimæ fluxerunt, & per notabile temporis

spatium; quibus effluxis omnis animi cessauit oppressio, & mœror, inque priorem latitiam rediit. Huiusmodi itaque mœstitia, ex multitudine vaporum, vel humorum cor aggrauantium, processit; & mox, cum materia prægrauans, ab insurgente natura expulsa est, cessauit cum causa, animi etiam ægritudo.

Alia est tristitia, ex tristi sensatione partium intimarum. Tristis verò sensatio ex frigore facta, familiaris est frigidæ melancholiæ. Cum enim hæc superabundat copiâ; vel dissolui incipit in frigidos flatus; multum incutit diaphragmati, & vicinis partibus frigoris: & cum in diaphragma locosque subiectos facit impetum, à loco, hypochondriaca dicitur. Hæc, meticulosis hominibus accidit; & rursus, eos quibus aduenit, facit meticulosos. Pigris quoque & inertibus hominibus est familiaris; siquidem pigritia quoque, à timiditate nascitur. Plato 10. *de legibus*; *Ex timiditate, inquit, otium: ex otio mollities, & pigritia.* Et Cicero 4. *Tusculanarum quæst.* ex Stoïcis, Pigritiam facit speciem ti-

moris; definit enim eam, *timorem futuri laboris*. Aliá, ex tristi sensatione, maximè communis melancholia est, quæ ex mordacitate humorum, & acredine. Recensuit autem Philosophus, & solam *ultimo cap. 7. Ethic.*

Commune autem harum omnium remedium, est vehemens aliqua voluptas, vt ex dictis patere potest: tollit enim primæ Multitudinem; secundæ autem Frigiditatem, & tertiæ Acredinem, latioris sensibilis suauitate permulcet. Sed proprium remedium primæ, efficacissimum esset, lacrymas elicere; vt ex naturæ principio, in narrata historia constat: præterea verò ratio docet. Occurrendum enim est oppressioni, & suffocationi, quæ à multitudine humorum, aut vaporum cor aggrauantium oritur: per lacrymas autem aptissimè fit. Secundæ tristitiæ peculiare remedium est multus motus, & agitatio; motus enim calefacit. Hoc remedium, huic meticulousæ tristitiæ aptum, prior me docuit Diuinus Plato *in principio 7. de legibus*. Cuius verba apponam, vt, quæ noua videri queant plurimis dogmata, mul-

tò priùs à summis viris cognita & approbata fuisse constet. Sunt eius verba: *Quod autem fieri oporteat, coniectare hinc licet, quòd periculo tam puerorum, nutrices, quàm quæ remediis Corybantum dant operam, id esse vtile cognouerunt. Quandocumque enim dormire pueros ad somnum tardiores, matres capiunt, non quiete hoc, neque silentio, sed contrariis faciunt. In vlnis enim portant, agitantque semper, & illos vocis modulatione, tamquam tibicinio quodam, mulcent. Et quemadmodum in debacchationum furentium remediis fit, huiusmodi agitationis choreâ, musâque vtuntur.* CLIN. *Quanam horum potissimum causa est, hospes?* ATHEN. *Non valde difficilis cognitu.* CLIN. *Quo pacto?* ATHEN. *Vtræque hæ passionis in metuendo consistunt: sunt enim formidines quædam propter malum aliquem animi habitum. Quando igitur ab exterioribus, aliquis ad hos affectus agitationem infert, vincit exterior motus, interiorem illum terribilem atque furiosum. Cùmque vice-rit, tranquillam animo præstat quietem, saltu cordis aliquantisper sedato: atque ita, aliis inducit somnum, alios vigilantes per tibiam, & tripudium, cum auxilio*

Deorum, quibus supplices litabant, à furioso affectu, ad sanæ mentis habitum reuocat. Atque hæc, ut orationis huius breuitas fert, rationem aliquam probabilem habent. Hæc Plato. Qui postremis in verbis excusat se, quamobrem causam problematis intimiùs non pertractauerit: alloquebatur enim virum Laconem, scientiarum rudem: Omittit verò, quamobrem & quomodo motus hic, motum illum vincat; cuius rei rationem nos reddidimus: quia nempe calefacit, atque ita, repellit frigiditatem melancholiæ insurgentis. Tertiæ Melancholiæ remedium nullum, quam commune, hîc ponemus; infra enim proprius magis locus erit, cum de adustione agemus. Sed hîc, quis

Dubitatio

nobis obiiciet, suprâ dixisse *cap.* scilicet 6. 1. *libri*, Bacchias, ex melancholiâ adustâ, originem ducere, eandemque opinionem imposuisse Aristoteli: modò Corybantes Platonis, (qui eiusdem cum Bacchis gregis sunt) tanquam à frigidâ melancholiâ sint, pro mea opinione afferre. Respondeo itaque negandò, me ponere Corybantes à frigida melancholia pendere, ex lo-

Solutio.

to Platonis adducto ; non enim Plato ibi Corybantes integros , hoc est conditionem Corybantum integram supponit , sed recessisse à naturali , & proprio habitu , ideóque remediis egerere : & cum naturalis ipsorum habitus , in quodam calore consistat , præternaturalis erit in habitu frigido. Quo etiam in habitu , constituisse eorum à natura egressum , indicat Plato , cum eorum passionem , in metuendo reponat : timor verò à frigore procedit : & hanc solutionem , adhuc clariorem reddemus , ex illis , quæ Strabo habet decimo libro ; Corybantes , fuisse Cybelæ matri ad Idæum Montem in Phrygia sacros , eamque honorauisse cantibus & tripudiis ; quomodo Bacchæ , Liberum ; & Curetes propriè Iouem : licet Curetes , & Corybantes , & reliquos viderentur complecti. At verò constat , molliorem choream , Cybelæ , quam Libero conuenisse , ut penes Virgilium à Romulo Tatianis , 9. Æneid. eiusmodi sacrificia , præ mollietati probro , obiciantur.

*O verè Phrygia (neque enim Phryges) ite
per alta*

*Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibiæ
cantum.*

*Tympana vos, buxusque vocant Berecyn-
thia matris*

Idae: sinite arma viris, & cedite ferro.

Mollem ergo choream fuisse hanc constat, præterquam quod, & Deæ, mollior quàm Baccho; & Phrygiis, quàm Græcis conueniebat. At verò Musicam ob mollem, languescere animum, & emarcescere, desidemque tandem fieri, ex Platone vidimus, & potissimum si homines illi, sint ab initio in mollitudinem proni, quales erant Asiatici homines, Platonisque tempore potissimum, quando in omnes delitias fluebant, vt ex Xenophonte in Agésilai laudibus apertum est, & ex reliquis eiusdem historiis. Mirum ergo esse non debet, si sæpius in frigidam melancholiam, molli Musicæ, & choræ perpetuam operam nauando, molles de se homines, inciderent.

CAPVT VI.

De Timore.

Timorem quoque, frigidam melancholiam excitare, superius diximus; sicut ex ea, ipse quoque oritur: etenim circulo quodam, sibi sunt effectus & causæ; vt quandoque contingere docuit Aristoteles 2. *posteriorum analyt.* Timor itaque fit, cùm malum imminens, eiusque expectationem refugit animus. Nam cùm malum expectatur, sed præsentis animo sumus, vel illud superare audeamus, vel contemnimus, timor non est. Huic itaque affectui eadem, qua tristitiæ, methodo, erit succurrendum: vel scilicet deriuatione, vel contrariâ actione: & vtraque cura, in causas coniunctas fertur. Causa itaque timoris, emanans, est mali conceptio: causa formalis, est animi effugium; ita enim metaphoricè vocare

debemus: causa materialis, est frigiditas quædam priuatiua, vel positiuua primi sensorij; quæ potissimum ex caloris inde fuga, & in inferiores partes recessu, oritur; ita vt maiori ex parte, frigiditas priuatiua sit. Sed si apertiùs materialem causam exprimere velimus, dicendum est, eam esse affectionem cordis frigidam, quæ duas præcedentes causas habere potest; vel scilicet priuatiuam, cum magna pars spirituum, ex corde effunduntur; vel positiuam, cum frigidus aliquis humor in cor ipsum irripit.

De Timore modò, sicut etiam de tristitiâ, duplex consideratio affertur. Altera, ne oriatur. Secunda, vt si ortus fuerit, expellatur. Et qui oritur timor, alius ex causâ conspicuâ nascitur; alter, cæcam, & latentem habet originem, qui, timor spontaneus dicitur. Quemadmodum etiam spontaneam tristitiam superius dari ostendimus. Si ergo timoris ortui obsistere velimus, prius constituenda erit opinio; deinde appetitio, atque animi agitatio; quæ, in timore est, fuga ani-

mi, & ab alienatio quoad opinionem constituendam; iisdem elementis, quibus aduersus tristitiam constituitur: si scilicet ea solùm mala credamus, quæ in nostra manu sunt: vel cætera saltem, etiam si mala, exigua tamen, & non magni momenti reputemus. Huc pertinet epistola 24. Senecæ. Ita si quidem parum timebimus, quæ parua mala credimus, & quæ, verè parua mala sunt, si rem ex veritate, non ex hominum opinione æstimemus: Non ex malis externis, sed ab internis miseri efficimur, secundùm Aristotelem, qui plus rebus externis, quàm Platonici, & Stoïci, detulit. Verùm homines, vulgaribus opinionibus iam constituti; parum auxiliij ex hoc dogmate recipient: iam enim callus obduruit: Hi autem plus opis recipient ex instrumentis, & facultate. Et huius secundi remedij capita primaria, doctissimè affert Seneca *epistola* 14. Animaduertere autem oportet, duplicem, hoc remedium, partem habere. Altera pars est, mali præcauendi; altera est, mali depellendi. Prioris partis, summa, & pri-

maria capita, recenset Seneca de malis, que ab aliena potentia nobis infliguntur, mali depellendi inquam, vel præcauendi: vt militares homines, non timent futuram cum hostibus dimicationem; non quòd mortem despiciant, sed quoniam se, armorum vsu, & ordinum disciplinâ, superiores fore confidunt, vel numero. Quòd si in hostem virtute præstantiorem; vel copiis, & numero maiorem incidant, tum sæpè ingens timor eos occupat, qui prius ferociebant: exemplum, exercitus Cæsaris aduersus Ariouistum. Sed qui mortem, minus malum, quàm ignominiam reputant; impares etiam, resistunt; & mortem pulchram, fugæ turpi præferunt. Atque ita se gerit exercitus, ciuili fortitudine instructus, vt docet exemplo pugne in Hermeo Aristoteles cap. 8. 3. *Et hic*. Securius igitur remedium aduersus timorem, est, externa mala parua reputare, atque in virtute, & bonis internis plurimùm reponere. Qua ratione Zeno Eleates equuleo impositus, & præsentibus dolores spreuit, & futura mortis

periculum, dum Cuces, præfente Tippo, ad eum occidendum exhortari aufus est, & impulit. Cæfar autem à Pyratibus captus, & ab Ægyptiis obfessus, fecundo potius remedio, timori obstitit: facultatem enim se se è malis eximendi habiturum confidebat.

Qui verò est versaturus in rebus agendis, primo remedio, & dogmate sese intus constituat; sed secundo quoque remedio se se instruat; ut hoc modo, extrinsecus malo occurrat, si fieri possit: sin minus, habeat semper certum, ad despectum mali ipsius, recursum. Ita, opinio instrui debet, ut res oblatas, vel malas non reputet, vel evitari posse depellique, credat. Et quoniam malum imminens nos non terret, nisi ut cognitum: est hinc diligenter moderanda actualis cognitio, & consideratio; de qua, plura diximus in præcedenti capite, & eam ex phantasmatis speculatione, & exactâ nimis delineatione pendere diximus. Vel ergo sumus in re cognitâ, habituali cognitione, nobisque verè terribili; vel sumus in periculo ignoto. Utrumque casum, aptis præceptis fir-

memus. In re igitur nota, atque terribili, præcauenda est exactior phantasinatis impressio, & descriptio: hæc enim timorem maiorem generat, & vehementiorem incutit, sicut ex superius dictis constat. Et ex hac eadem causa pendet, quamobrem sæpe absentia pericula fidentius adeamus, quàm postmodùm præsentia firmiter sustineamus: ex præsentia enim clarior oritur cognitio, & phantasmatis impressio: vnde multi à carnifice necandi, oculos sibi velandos curant, ne à præsentis malo, infirmiori spectro, commoueantur. Neque verò ego remouere iubeo eam futuri periculi commentationem, quæ ad illud præcauendum, vel depellendum est necessaria; vt qui pugnaturus sit, non præmeditetur, quibus modis sit eum •duerfarius inuasurus, quomodóque econtra illi resistere debeat; & æquale, vel maius intentare periculum: Sed remoueo nihil iuuantem malorum commentationem. Vt si verbi gratia quis recogitaret; dum in pugnam descendere debet, vulnerum dolores, mortis horrorem, vel cap-

ciuitatis inſœlicitatem, huiusmodique malorum ſeriem exactiſſimè intueretur: ex hac ſiquidem defixâ imaginatione, terror ſummopere augetur illis, qui ad timorem ſunt proni. Et hinc vereor, ne duces aliquando, pro confirmandis animandisque militibus, animum eis ademèrint, cum ſcilicet, depugnantibus pro focis, & laribus, ob oculos poſuerunt futuram, ſi victi fuerint, patriæ, vxorum, & liberorum calamitatem. Hæc ſiquidem imminentis mali imago, graphicè adeo deſcripta, in hominibus imaginationis fœcundæ, & excurrentis, aliquando potius animi conſternationẽ, quàm eius incitationem facit: vnde, tremor, & pallor occupat corpus, & vires dilabuntur. Nec enim ſæpè quantum vellemus, tantum nobis imperare poſſumus, inuitosque, vires deſerunt. Huc potiffimum illud ſpectat, ſuper trabe, nos, in terra extenſa, ambulare, abſque vlla difficultate; ſed ſi eadem, inter duas altiffimas profundiſſimasque rupes, pontis vice, adaptata, erectaque ſit, non amplius ſuper ea ambulare auderemus, ſed in ea

media positi, omnes ferè homines, dilabentibus viribus, præ metu deorsum ruerent. Ita facundi Oratores, in conspectu summi alicuius Principis, vel nobilissimi cœtus corona, sæpe dum minus oportebat, magisque renitebantur, defecerunt. In alea etiam, cùm maxima pecuniæ vis committitur, & quæ amissa, possit perentem ad inopiam redigere; videmus tremere labia, & manus, collusoribus, & vultus pallefcere, & potissimum, si qui ludunt, tantæ fuerint aleæ insueti. Et effectus huiusmodi, crescunt, quò maioris damni periculum fuerit. Vnde, ad noui alicuius hostis, & tremendi aduentum, nollem hominibus ingeniosis, felicisque imaginationis, feriem eam malorum, si fortè fortuna cesserint, futura proponi, & describi veterano, & confirmato exercitui: At in antiquo iam bello, & cum experto hoste, non abnuam. Hinc vnum ego deduco, cuius iudicium aliis relinquo: Ex causâ modò præactâ, maioris periculi imminentis, ob idque exactioris illius commentationis, factum esse, vt Ro-

mani,

mani, & Itali; dum ad sui defensionem pugnaverunt, minus feliciter pugnaverint, quam cum in aliena regione, ad aliorumque adeptionem. Romani, turpiter ad Alliam victi; & turpius, Roma ab iisdem Gallis capta; postea, infeliciter ab Annibale tractati, vt Silius Italicus cecinerit; *proli-*
piusque fuere periclo, queis superare datur-
tum. Nec alio vnquam pacto expulerunt Annibalem, nisi cum sui defensionem, in Carthaginensium inuasionem mutauerunt, & extra Italiam; Annibalem ipsum, quem tantummodo Italia exhorruerant; & saepe victoriam; nunquam verè victum; & fugatum experti fuerant, in Africa, celebri victoria, debellauerunt; Et eandem fortunâ in reliquo orbe vsi sunt. Dum enim ipsi inuaserunt, quinquaginta annorum spatio; vniuersum ferè orbem obtinuerunt, vt narrat Polybius. Sed de Gallis loquendo (quorum subiectionem non cognouit Polybius) decem annis; vniuersam deuicerunt Galliam; cuius portione, quinimo potius accessu Cisalpino, vix se tueri potuerunt: Extra Italiam;

Mœsos, Getas, Germanos fregerunt. Sed dum è contrà, hi inuaserunt Italiam, Itali succubere. Quanam ergo causa? Scio multas esse, sed inter alias, non infimam credo, quam attuli; quòd scilicet, dum pro vita, pro liberis, pro vxoribus, pro fortunis, pro patriæ vastatione propellenda depugnarent; penes homines excurrentis æstimationis, aleæ magnitudo, imminueret vires, & iudicium aliquo pacto obturbaret. Vnde florente etiam armorum disciplina, cùm Cymbri, Teutones, & Amburones, in Romanos impetum fecerunt, triplici prius hoc clade affecerunt: & Marius, ad ipsos superandos, optimo consilio vsus est, continendi milites aliquandiu, vt aspectu, & velitationibus, feritati hominum prius infuerent, conceptumque terrorem deponerent. Quo eodem consilio vsus, aduersus Annibalem, Fabius Maximus, meritò laudem obtinuit Italiæ seruatoris.

— *Tu maximus ille es,*

Vnus, qui nobis cunctando restituis rem.

Hoc idem, quod nos, passi sunt Galli: Sunt enim & ipsi, fœcundo ingenio, & animi multa perspicuitate donati, quod multa doctorum hominum in omni scientia, copia declarat: ex Parisiensi enim Academia quot illustres viri prodierunt? Hæc itaque Gens, dum aliena insequuta est, Italiæ bonam partem occupauit; Romam cepit; Græciam vastauit; Asia nobilissimam partem, suam effecit, laresque suos illuc transtulit. At contrà, dum pro se pugnauerunt, prius ab Ariouisto, & Germanis, multa perpassi sunt; postea à Romanis, solo decennio, occupati sunt. Labente verò Romano Imperio, Francorum armis cesserunt. Tandem ab Anglis vniuersa ferè Gallia debellata, Regij illis tituli vsurpationem in præsens vsque tempus reliquit. Angli, idem fatum subierunt: in alienis consequendis, quàm in suis defendendis fortunatiores fuerunt. Primò enim Romanis, deinceps Saxonibus, postea Vvillielmo Normanno subiacuerunt. Hispani quoque, inuadentibus primò Carthaginensibus, postea Romanis, deinceps

ceps Gothis, demum Africæ Sarracēnis pariere: at, postquàm aliena, postremi omnium aggressi sunt, nobilissimam Italiæ partem, Siciliam, Sardiniamq; occupauerunt: atque in nouo, vt vocant, Orbe, Castellani plurimas regiones; in Orientalis Indiæ maritimis, plurimas arces, & oppida Lusitani occupauerunt. Quodq; ad meam sententiam confirmandam facit, Lusitani, qui in India, tanta virtute, innumerabiles plerumque hostes, parua manu vicerunt, repente modò in defensione Lusitaniæ, à Castellano-
rum impetu defecerunt. Sed Germani, Sarmatæ, & Scythæ, robustius res suas defendunt, cùm enim, (postremi saltem) obtusioris sint ingenij, à præsentimalo, potius incenduntur, quàm à futurorum malorum defixa commentatione consternantur. Idcirco, (veluti feræ pro cubilibus & catulis) efferatiùs depugnant: atque ita, nemo Scythas occupauit, nemo Sarmatas, nemo Germaniam vniuersam: licet hæc forsan in præsentia, cùm maiori ciuilitate emollita est, scientiarum eruditione perspicacior facta, minori

robore sua tueretur; vt exemplo Caroli V. apparuit : quo tempore , nisi eum iam inermem, dimisso exercitu, improuisa Mauritij Saxonis mutatio repulisset , iam præsidia Hispana, vltro libera Ciuitates recipere inceperant. Atque in præsentia quoque, multas Prouincias finitimas, à Belgico bello laceratas videmus , nemine obfistente , & remedia malorum , deprecando potiùs, quam pugnando quaerunt. Conuenerunt tamen Principes in Conuentu Ratisponensi anno 1594. armis mala eiusmodi repellere : quid tamen factum sit, nihil adhuc audio, elapso iam biennio. Sed nimium digressus sum. Hucusque autem, ad timorem euitandum , diximus , quomodo opinio sit informanda , & periculi contemptu , & virium suarum verâ æstimatione. Præterea quomodo ab inani commentatione , & defixâ , malorum consequentium , in periculo nota.

Dicendum superest de ignoto periculo : in quo cauere oportet , ne ipsum suspicione augeamus. Nam rectè Demetrius Phalereus monet, symbo-

lis, ad minus, vti; quoniam plus suspi-
camur mali, quàm si simpliciter esset
prolatum; & sæpe plus mali, in me-
tuendo, nos facimus, quam sit in re,
à qua timemus. Aliquando ergo præ-
stabit cognoscere periculum ipsum,
vt monet Fracastorius (qui vir, nobi-
li ingenio, scripsit *lib. de sympath. &*
antipat. cap. 19. vbi & quomodo ex
ignoratione timor oriatur, docet, &
doctissimè) Restat vt affectus ani-
mamque illis obnoxiam, constitua-
mus.

In Timore igitur, animus refugit,
atque à sensu ipso mali alienatur.
Quo in animi lapsu, est affectus ip-
siusmet animi, & dispositio instru-
menti, siue sensorij; sunt enim om-
nes hæc animi passiones organicae, vt
demonstratur à naturalibus Philoso-
phis: Supponatur autem modò, Cor
esse primum instrumentum irascendi,
audendi, timendique: & Spiritus, pri-
mariò illi ad hæc omnia inservire.
Cum ergo spiritibus abundat Cor, in-
dèque calore feruescit, audet animal;
Sed cum spiritus è corde fluunt, se-
cumque abducunt calorem, Cor ex-

haustum illis, & calore; pro sui natura, frigescit, & languescit. Eodemque modo etiam Animus; & refugit, quasi ad fugam Spirituum; & deicitur, ad cordis languorem, & imbecillitatem.

Remedium autem optimum, est, ab initio prohibere animum ab eiusmodi dilapsu: Sumus enim domini ab initio, nostrorum actuum, & affectionum, quousque non contrariâ dispositione premamur. Qui ergo teneræ ætatis curæ præest; vel qui adulescens factus, sui curam (quod contingit rarò) habere velit, obseruet se ipsum, ne in conceptione periculi alicuius, subita illa pugna animi suboriatur, sed contineat animum; etiam si malum euitare deliberauerit, & fugere. Nam malum fugere, quando id, honestum, fugere sit, oportet; non animo fluxo, & effuso, sed contento, & minitabundo. Huius fugæ exemplum ponit in Socrate Diogenes Laërtius *in eius vita*. Imitarique oportet Leonem, dum in aprico loco fugit; non enim demisso capite, sed respectante; insequitores graditur.

Aristot. *de hist. animal. lib. 9. cap. 44.* Non possum me continere, quin carmina Ludouici Ariosti, rem, mira suauitate, dignitatēque exprimentia, apponam.

*Quat per le selue Nomadi, e. Masile.
Cacciata vā la generosa belua,
Ch' ancor fuggendo mostra il cor gentile.
E minacciosa, e lenta si rinselua.*

Vbi exprimit sensum Virgilij in 9. Æneidos. Sed aptiūs ad rem meam.

— *Ceu sciuum turba leonem
Cum telis premit infensis: ac territus ille
Asper, acerba tuens, retro redit: & neque
terga
Ira dare aut virtus patitur, nec tendere
contra.*

Oportet itaque, ad ita pueros, & adulescentes insuescendos, periculis aliquibus illos obiicere, cum prius præceptis præmunierimus, & exemplis virorum fortium; deinceps in re ipsa, adsimus, si expediat, increpatores timoris, si timor erumpat; vel laudato-

res virtutis, si constantes fuerint. Vbi id annotare diligentissimè oportet; vt pericula, semper pro experimento, sumamus minora virtute in adolescente perspectâ, puerôve. Nam si periculum, maius quam ferre possit, obiiciamus, adedò vt animus succumbat; incipit consternationi animus assuescere, & puer sibi diffidere; vnde facilè in omnem desidiam; & ignauiam, quasi fortitudinis impos, sponte resoluitur. Tum ergo oportet animum ægrum consolari, & probabilem aliquam causam iusti timoris prætereundere, ne animum despondeat; sed spem constantiæ adipiscendæ resumat. Non ergo mihi probatur mos Italiæ, aliquibus in locis; neque Galliæ vniuersæ; id proponere scilicet adolescentibus, & tyronibus armorum, oportere eos, si armorum tractationi futuræ sint apti, in ipso initio, paratos esse cum quocunque alio, etiam exercitatissimo, solo ense, & pugione, (reliqua inermes) pugnare ad interuentionem vsque. Hoc enim specimen, proculdubio inter omnia militaria pericula summum est. Propone-

re itaque id, in ipso armorum limine, adolescenti, qui nunquam fortè, ne pugnis, decertauerit; atque ita proponere, vt si impar ei sit, ignauum se se existimare debeat; & armis ineptum facit: vt cùm plurimi; intrinseco examine, se imparatos animo sentiant, despondeant animum; proque fortibus, ignaui euadant, sibi que diffidentes. Quòd si gradatim, & debito ordine aggredierentur pericula, eis que insuescerent, viri fortes euaderent. Vnde melius Plato *in lib. 8. de legibus*. Ciues insuescere ait periculis, in quibus etiam mori possint; minoribus tamen, quam vera, & bellica ipsa sint, existentibus. Et experti duces, Tyrocinia prima facientibus militibus, non summa, sed minora obiiciunt pericula, vt paulatim, & gradatim, maioribus subinde assuescere valeant. Hinc, contra institutum Italicum inuehere licet, arma in Ciuitatibus gestandi: Monomachia enim singularè que certamen, est maximum inter bellica munia. Siquidem in campestri bello, Tympana, Tubæque augent animos, atque reliquorum militum

focietas in periculo, & virtus, nec non ducis cura, & prouidentia; atque sæpe, publicæ cohortationes; viris fortibus proposita vtilitatis, dignitatifque præmia: at in Monomachia, hæc omnia defunt: oportet siquidem, vt sibi quisque dux sit, Tuba, Tympanum, Socius, & Exemplum; quæ nemo sibi præstare potest verè, & non fictè, nisi, qui iam in periculis obdruerit. Vnde videmus penes Romanos, fortissimos homines, inque publicis bellis quotidie versantes; præcipuum tamen honorem habitum esse illis, qui singulari pugnâ decerta-uerunt, vt Horatio, Manlio Torquato, Valerio Coruino, atque Asellio. Modò autem gestare in Ciuitatibus arma, ea lege, ex hominum communi opinione, vt solus soli quisque respondere debeat, armisque paribus; animari exigit singulari pugnae paratos: atque ita, in ipso armorum Tyrocinio, sicuti dicebam, summum inter bellica opera, facinus, offert Tyronibus, vt præsens si occasio se se offerat: (quæ nunquam à multorum insolentia, & peruicacia deest.) Cùm

que multi, ad tam validum examen sub initio non perstent, vel ab hominibus exhibitati, animum despondent, vel intrinsecus sibi conscij, dum pluribus occasionibus se impares persenserunt, in certam ignauix suæ opinionem deuenientes, arma postibus affigunt. Inter hos, illi Principes, & Ciuitates potissimum damnandi sunt, qui ensium gestatione concessâ, loricas deinceps, defensionisque arma prohibent; in maiora enim adhuc pericula Tyrocinium coniciunt. Sua derem itaque ego, vt omnino armorum in pace gestatio quibuscunque inhiberetur, vt antiqui Græci vetuerunt. Quamobrem Aristoteles 2. *Polit.* morem hunc, primis illis hominibus consuetum, tanquam barbarum, deridet. Et Romani, dum virtute bellicâ florebant, togati, non armati in Vrbe incedebant: & Florentini, dum Respublica eorum, bellicâ virtute preualuit, quæ Tusciam ferè vniuersam domuit, ab armorum gestatione abstinerunt; vt ex Ioanne Villanio constat: & Veneti, quantum imperium conquisiuerunt, & etiam reti-

hent, à maximis licet regnis circumfessi, nunc quoque Venetiis inermes, & togati incedunt. Et Turcæ, quorum armis vix reliquus Orbis resistere potest, togati & ipsi, in pace sunt, ab omnibusque armis abstinent. Vtinam ergo & nos ita faceremus, atque pro hac particulari armorum tractatione, publica exercitatio, statis temporibus, vniuersarum Ciuitatum induceretur. Reuiuisceret enim forsitan Romana, & Italica virtus, cui reliquæ omnes gentes concessere. Sed de his satis; Quomodo nempe assuetudine animum firmemus aduersus effugium illud, vnde ad spectrum mali imminentis dirigatur.

Aliud remedium est, Animum calido affectu præmunire, sed qui diurnus esse queat: Ira enim labilis est, vnde dicitur, breuis esse furor. Eiusmodi autem, præcipuè inter omnes, est vehemens aliqua cupiditas: vnde scribit Aristoteles, inter spurias Fortitudinis species, Fortitudinem ex Amore reperiri; & ita auari, ex summa diuitiarum cupiditate, per mare pauperiem fugiunt, per saxa, per ignes.

Sunt deinceps aliqua materialia remedia, quæ hoc modo venabimur: Ad timorem ergo duæ materiales conditiones, si secundum genus sumantur; faciunt. Alterum verò genus, est Cordis ipsius substantiæ; alterum, est natura ingredientium Cor, atque egredientium. Conditio autem ex Cordis substantia pendens, duplex est; alia est Cordis ipsius substantiæ quædam mollities; ex hoc enim sensu animal valet naturâ; mollis quippe pars facile species aduenientes imbibit; est enim magis passioni obnoxia. Quibus vero Cor durum, hæc sunt hebeti sensu: at verò, quæ sensu maiori sunt, timidiora; quæ verò hebeti, audaciora; siquidem hæc parum ab oblatis speciebus sensibilibus moventur, quas parum sentiunt: illa verò multum, ad oblatum terribile intimiùs sentiunt. Esse autem sensu hebeti, quæ cor durum habent; & sensu acuto, quæ molle, docuit Aristoteles 3. de partibus Animal. cap. 4. ubi habet. *Quæ enim sensu hebeti sunt, Cor habent durum, & spissum; quæ autem sensu valent, mollius.* Alia conditio, ex

Cordi inexistentibus, est magnitudo ipsius Cordis. Cuius rei assertorem adducamus Aristotelem, qui in lib. 3. de partibus animal. eodem cap. 4. dicit: *Pauida etiam sunt, quibus Cor grandius: audentiora, fidentioraque, quibus minus, aut mediocre. Affectus enim qui accidit ex metu, iam in iis præest, quoniam calorem proportionem, Lepori, Ceruo, Muri, Hyene, Asino, Panthera, Mustela, & reliquis ferè omnibus, quæ aperte timida sunt, aut propter metum malefica.* Hæc Aristoteles: Conditiones verò ex ingredientium Cor, atque egredientium qualitate, & natura, distinguuntur & ipsæ in duas, sicuti & duæ sunt res consideratæ, nempe egredientes, & ingredientes. Prius autem de his agendum: Cùm quæ Cor subeunt frigida sunt, vt sanguis, si dilutus fuerit, vel aliam ob causam aliquam frigidus, fit animal timidum. Hæc Aristoteles cap. 4. lib. 2. de part. animal. *Timidiora, inquit, quibus sanguis dilutus nimium est; metus enim refrigerat; itaque ea quibus eiusmodi temperamentum in Corde habetur, metuendi affectioni sunt opportuniora; aqua enim*

frigore congelascit. Hæc Philosophus: Quam ob eandem rationem, etiam si Spiritus in Cor superingrediantur frigidiores, timorem incutient; etenim refrigerabunt, licet non tantum: Frigidiores vero Spiritus subingrediuntur eorum Corda, quæ pulmonem parum sanguineum; & calorificum habent: eâ enim ratione, aër inspiratus, parum caloris consequitur: vnde frigidiusculus in Cor peruenit, & frigida subinde sunt, sicut fatetur Aristoteles *lib. 3. de part. animal. cap. 6.* Alia demum conditio meticulosa, est Eredientium, cum scilicet ea, quæ calorem in Corde continebant, facillè elabuntur, inque inferiores partes, Corde derelicto, defluunt, vt Aristoteles scribit *sect. 27. Problem. 1. & 3.* Ea verò facillè elabuntur & effluunt, quæ tenuiora sunt. Quamobrem quibus subtiliores spiritus, his facillè e corde exeunt, & decedunt, cum aliqua terribili specie fuerint perciti. Auicenna consentit, *de med. cord. c. 7.*

Materialis itaque conditiones timendi, hæc sunt, quibus, si remediis contrariis debite occurratur, tolli, vel immi-

imminui possunt. Occurreretur igitur quartæ, si spiritus densarentur aut aliquo retinaculo in corde cogerentur. Cogitent itaque pro primo remedio Medici, vtrum aliquod ceratum excogitari possit, cohibere valens in corde spiritus, quod cordi supra ponatur: Sed nõ quod conficiunt; parũ caloris, potissimum acuti adiiciant: nam ita rarescerent adhuc magis spiritus, cuius contrario potius egeremus. Ad densandos autem spiritus, si id hominis patiatur complexio, videntur facere refrigerantia; frigus enim densat, sed dũ refrigeramus præcordia, etiamsi ad densationem spirituum, timori occurreremus, multò tamen magis, frigore in præcordiis impresso, eundem augeremus: melior itaq; est, si cui in crassetur sanguis, ita enim & Cor calidius fit, & spiritus, ad sanguinis crassitudinem, ipsi quoque crassiores eleuantur. Sanguinem verò crassiorem, calorificum esse, atque ad audaciam conferre, docet verbis disertis Aristoteles 2. de partibus Animal. cap. 4. Verba sunt: *Quorum autem sanguis fibris admodum multis, crassisque repletus est, hæc*

terrena amplius constant natura, & animosa, iracunda, proindeque furibunda sunt: ira enim calorifica est. Solida autem firmioraque omnia concalescunt, vehementius, quam humida calefaciunt: fibrae verò solida terreneque sunt; itaque quasi tomenta in sanguine efficiuntur, feruoremque per iram accendunt; ex quo fit, ut tauri, & apri animosi, iracundi, furibundique sint: sanguis enim eorum fibris, &c. Hucusque Aristoteles. Hic itaque scopus, scilicet & quarto malo, & tertio occurret. Dogmatis vero exequutio spectat ad Medicos. Contra quartum hunc morbum, vel prauam propensionem, faciebat quod monuimus superius; ut ab initio assuescamus animum continere, ne ad malum imminens refugiat; non enim refugit animus, quin spiritus quoque à corde effundantur, & è contra: quare quæ ad id consequendum monuimus, ad hoc quoque conferunt. Præstat etiam, hunc ita affectum animum, & hominem, à periculis, interdum longis interuallis; feriarî; nam in eo otio spiritus in Corde quiescunt, atque vigorem cordi præstant, & quasi effu-

Ionis motum, longa defuetudine dediscunt. Vnde multos experimur homines, qui cum diu à periculis abfuerint, quandam de se fiduciam resumunt, atque iracundi euadunt, qui cum in mediis periculis aliquandiu versati fuerint, adeo ob frequens spirituum effugium, dilabitur animus, ut ad quodque tremant periculum, utque dicit ille Poëta.

*Nam seu mobilibus veris inhorruit
Aduentus foliis, seu virides rubum
Dimouere lacertæ,
Et Corde, & genibus tremunt.*

Horatius
lib. I.
Carm.
Ode 23.

Et de huiusmodi hominibus illud est vulgatum dictum, *in pace bellum queritis, in bello pacem.* Tertij mali proprium est remedium, sanguinem calefacere; quod cibus, motibusque (nam motus calefacit) & aliis argumentis calefaciendi; præstare poterimus; quæ à Medicis petenda sunt: nec non & ceratis Cordi impositis, vim calefaciendi habentibus; & lacris eiusdem thoracicæ regionis, quæ vim calefaciendi habeant. Verum oporteret, ut calor ab his immitteretur

tur, indereturque sensus, & pertinax: aliàs si citò expirabilis sit, statim sanguis suæ frigiditati restituetur. Eodem calefaciendi scopo, secundo occurrimus malo; magnitudini scilicet Cordis: nam licet idem calor, non æquè, ac paucum, cubiculum magnum etiam calefaciat; tamen si calor intendatur; potest cubiculum magnum, æquè ac paruum, ab ampliori calore incallescere. Priori malo vix credam medica ope occurri posse; nam principium immutare omnino difficile est; sed Medici ipsi viderint. Moralís verò cura, ex duplici fonte pendet, sicut in vniuersum suprà diximus, scilicet vt nunquam species admodum terribilis, Cordi obueniat; quod præstare, solùm ex opinionis constitutione firmâ, diurnâque possumus; vt scilicet nullum externum malum, admodum sit terribile; ita enim res omnes extrinsecus, vt paruum malum, aduenientes, parum Cor, etiam delicati sensus, mouere, & afficere possunt. Et huius rei, præclarissimum exemplum sunt, sacræ Virgines, quæ pro Christi nomine martyrium subie-

runt ; cognouerunt enim , non opinione humanâ , & morali , sed verâ , & certâ cognitione , Diuinæ Veritatis claritate illustratæ ; nihil verè malum esse , quod ad Christum perduceret : vnde non rotæ , non equuleus , non ignis , non feræ , vt terribiles , & malæ res , ipsis offerebantur ; sed potius vt bonæ , cùm instrumenta essent ipsas cum Christo statim coniungendi . Alius est modus , Opinionis ad eundem effectum confirmandæ ; vt etiam si , externas res , valde malas credamus , tamen reputemus , in iisdem malis , præualens aliquod bonum reperiri : ita , virtute morali præditi , penes Peripateticos , credent externa esse mala , sed in huiusmodi malis perferendis , bonum Constantiæ , atque Magnanimitatis , atque tandem Honestatis , inesse credent : quod bonum , & nobilius , & præualere malis illis externis existimabunt . Ita Curtius , reputauit quidem , in patentem voraginem se deiicere , malum : sed considerabat , in huiusmodi morte , futuram gloriam , quam mortis malo , ex Romanâ tunc temporis disciplinâ præ-

ferebat: Et scortatores homines, sentiunt quidem damnum rei familiaris, sed ei damno præferunt quam capiunt ex amata muliere voluptatem. Aliud remedium est, Pro Cordis delicatiorre sensu, constituere, & confirmare animum, ne sit in effugium pronus: (vt iam diximus, neque enim repetere decet) solùm hoc remedium, quod supra omisimus, contra animi, & spirituum effugium, apponere volo: sitque, sonus aliquis bellicus, vt tympani, & tubæ vel aliorum similium instrumentorum: Tympanum autem potissimum, cuius vt sonus, spiritus exagitat, atque ad sui modulum figurat, vnde motus effugij, longè ab altero diuersus, prohibetur; & cum sonus tympani, quibusdam frequentibus ietibus, & repetitionibus vniformibus conficiatur; spiritus quoque eodem modo agitantur, vt se inuicem percutientes, calorem adaugeant; & præterea, bombi magnitudo, causa est, cur eius sonus, efficacius in spiritus agat, diutiusque seruetur impressio. Effectus hos, nedum in hominibus, sed & in equis conspiciamus,

Barbitis etiam sonus, dum per hypa-
then fit, frequentique eiusdem ictu
perficitur, similem tympano effectum,
quadam proportione reddit. Et ego
cum adolescens essem, meditarerque
ex Italo abusu, cuiusdam viri ad pu-
gnam singularem prouocationem,
fortè in barbitem incidi, recensito
modo pulsatum, à quo me summo-
pere animis auctum, incensumque
fensi, vt etiam ad anticipandam pro-
uocationem impellerer. Tubæ pen-
trantior sonus est, magisque figurat
animum, cum & distinctiorem sonum
ipsa reddat; ideoque ob acumen spi-
ritus crassos magis, quàm tympanum
mouet. Et hæc est ratio, cur equus,
(animal crassiorum spirituum) à tuba
multò magis, quàm à tympano ac-
cendatur; vt bellica docet experien-
tia. At homines spirituum tenuium,
crediderim ob contrariam rationem,
multò magis à tympano adiuuari: si-
quidem tuba, ob multum acumen,
potius disgregat spiritus, adque ma-
iorem tenuitatem adigit; at tympa-
num, continet.

Ex his, modò facile est deducere;

De Timore
re expell.

quomodo timor expelli possit: oportet enim causas coniunctas expellere, scilicet Emanantem, vel Formalem, & Materialem. Causa Emanans expellitur: hoc est conceptio mali imminentis, vel si malum re ipsa cesserit, quomodo Romanus populus liberatus fuit metu, ne exercitus Claudij Neronis ab Hannibale destrueretur; dum ipse clanculò, lectiore manu, contra Hasdrubalem contenderat: liberatus fuit ergo metu hoc à litteris eiusdem Claudij, quibus se in castra rediisse, Hasdrubale perempto, significavit. Vel remouetur opinio mali, cum nempe res, quæ ut mala concipiebatur, bona deinceps apparet: ut Anichinus, dum detinebatur obnixè ab vxore Eugani, atque suum amorem in sermone initio, Eugano diuulgari sensit, summopere timuit: ad sui enim mortem, id factum interpretabatur: sed cum postea, ex sermone & rei exitu, ad voluptatis commoditatem, excogitatum sensit, cessauit timor, & successit voluptas. Et quoniam non sola conceptio mali imminentis facit, nisi adsit etiam opinio,

ineuitabilitatis : nam si malum repelli posse credamus , non timemus. Hinc tertius modus causæ Emanantis auferendæ datur ; si nempe credamus , malum quod antea maius viribus nostris reputabamus , posse facile à nobis vinci : Atque ita Cæsar exercitum suum metu liberauit, quem ex Ariouisti ; copiis conceperant milites: ex immanitate enim corporum ipsorum ; atque victoriis aduersus Gallos ; se omnino inferiores æstimabant. Cæsar autem ostendit, Gallos, ab illis, non virtute, sed astu victos; & eosdem Germanos, Heluetiis, virtute bellica, inferiores; quos tamen Romani ipsimet, paucis ante diebus debellauerant : subiunxitque se vnica decima legione, Germanos aggressurum, si cæteræ detrectent. Ex hac enim Imperatoris fiducia, atque ex præcedentibus rationibus, ad eò metu liberatus vniuersus exercitus fuit, vt prælium vltrò cuperet, quod ita Cæsar ipse expressit, *Hac oratione habitâ, mirum in modum conuersæ sunt omnium mentes, summaque alacritas, & cupiditas belli gerundi innata est.*

Alio modo, Oblivione, mali species tolli posset, si oblivionis facultas adesset. Sed promptior modus est, Imaginationis cohibitio; ne, scilicet defixo animi intuitu, imminens malum intueamur: vt enim toties vidimus, ad affectus excitandos, actionesque producendas, multum, & plurimum momenti obtinet imaginatio.

Materialis verò dispositio, erat effugium spirituum è Corde, hincque caloris in Corde diminutio. Et Formalis erat, quædam respondens animi, & metaphorica relaxatio. Has vero dispositiones, & causas expellere, (simul autem Materialis, & Formalis expelluntur; se se enim hæ consequuntur,) contraria inducendo, possumus. Cor igitur calefacere oportet: ita enim diminutio caloris in eo cessabit, atque præterea (quoniam caloris est attrahere) Cor calefactum, spiritus rursus in seipsum attrahet: motus ergo & agitatio spiritualium partium proderit; præterea si quæ alia à Medicis, ad Cor calefaciendum excogitari queunt: Soni quoque belliei, Tympani scilicet, & alij quos supra recensuimus: hi enim

& Cor calefaciunt, vt primum sensorium, & spiritus dilabentes cogunt quodammodo, vt in principium suum redire, inque propriam sedem disponant.

Alia magis animalis, atque spiritalis est via. Affectum videlicet aliquem intentum & concitatum, vt iram, si fieri possit, vel presentem cupiditatem, concitemus; ita enim Cor incalescit, & animus conglobatur in se ipsum, atque ex præcedente dilapsu intenditur. Ita, Persæ à Medis victi, & fugati, cum ad mulieres suas peruenerunt, amore insurgente, ex aspectu, abiit timor, atque in pugnam reuersi, ex victis, victores euaserunt.

C A P V T VII.

*De reliquis Causis frigida Bilis
Atræ tollendis.*

DVas perturbationes iam curauimus, quæ suo pte nutu frigidam Melancholiam promouent; reliquæ,

vel ad eas reducuntur, veluti species, vt Inuidia, Commiseratio; vel causæ sunt Tristitiæ, vt desperatio rei summopere expetitæ, & Abominatio; quæ quoque timorem incutere consuevit. Cæteras verò omnes affectiones, per accidēs solùm Atram Bilem Frigidam efficere notauimus, inter quas præcipuæ sunt Ira, & Amor, siue Cupiditas; modò enim Amorem, & Cupiditatem amplè sumò, quas idcirco potius in sermonem de Calida, quàm in sermonem de Frigida Bile Atra reicere par est. De Amore tamen, quo pacto minuatur & auferatur, suprà in capite de Tristitia differuimus, non vt de speciali quædam perturbatione, sed quatenus in omnem reliquam perturbationem ingreditur: sine enim impetu animi ad rem obiectam, nulla oriri potest perturbatio. Quod ergo est perturbationum reliquum, in capita de Calida Melancholia reiciemus: Restaret, vt remedia rerum aliarum non naturalium apponere-
mus, nisi & res hæc ad Medicos magis spectaret; Nos, quatenus ad præsens opus facit, fatis luculenter suprà

aperuimus, dū quo pacto singule, frigidam Melancholiam efficiant, explicauimus: à contrariis enim contraria tolluntur: verbi gratia, Si aër turbidus, & crassus frigiditatem efficit Melancholiæ; aër clarus, & perspicuus tenuisque, contrariam affectionem inducet. Si somnus excedens, deficientisque, frigus; mediocris è cōtra, calorem ingenerabit; idem de cibo, & potu; de cuius etiam excessu quid efficiat in cap. de Tristitia declarauimus. Non diuersum est. quoque de motu, & quiete: si enim quies frigiditatem; si motus remissus, & deficiens nec non etiam excedens, ipse quoque frigiditatem generat; motus mediocris, sed in vehementem inclinans, calorem producet: De retentione quoque & excretionem, methodo eadem constabit.

Finis Libri secundi.



DE

ATRA BILE
 QVOAD MORES
 ATTINET.
 LIBER TERTIVS.

 CAPVT PRIMVM.

*De Caliditate Bilis Atra, eiusque
 Remediiis.*



OSTQVAM autem de Frigidæ Melancholię remediiis, ob idque primò de illius causis egimus, ad Calidam curandam transeamus. Eâdem verò methodo vte-

mur: primò scilicet causas inquiremus, secundò, remedia adiiciemus, sed ea, quæ iam diximus, multum dicendorum compendium nobis afferent; ad eorum enim similitudinem, de se quisque, multa deducere poterit. Galenus igitur, *in capite secundò de morborum causis*, quinque Caloris causas enumerat, Motum; secundò Putredinem; tertio Corporis alterius calidioris vicinitatem; quartò Stipationem; postremo loco Alimentum ad calefaciendum accommodatum. Quas causas, & si quæ aliæ supersunt, nos in rebus non naturalibus consideremus. Interim verò hoc notare lubet, Calorem, in agendo, aliquid commune cum reliquis omnibus qualitatibus, habere, & aliquid proprium: Commune est; quoniam si fuerit calor parvus, & imbecillis (ratione rei calefaciendæ, eiusque frigiditatis) non calefacit, sed frigiditatem intendit; extimulata enim frigiditas, naturali ad repellendum instinctu, insurgit, vniturque, & vehementior idcirco sentitur: Proprium autem quod habet, est; quoniam calor ni-

mis vehemens , dum in rem longè inferioris resistentiæ agit , ipsam omninò exsiccat , proindeque caloris incapacè reddir ; nusquam enim sine humore consistit caliditas , *lib. de resp. cap. 3. & sect. 30. probl. 5.* quamobrem nimius calor frigefacit , non semper calefacit ; & idcirco non est in vniuersum verum , Vicinitatem calidioris corporis , calefacere ; quod in praxi , atque in curatione , est omninò obseruandum.

Hinc euenit , (vt ad res non naturales iam deueniamus) vt aër calidus admodum , qualis in æstate est , frigefaciat intrinsecus animalia , nam educit humorem ad exteriora : calor enim humorem attrahit , *cap. 1. lib. 2. de plantis* , quem innatus calor consequitur : partes inde interiores corporis , ex caloris dilapsu , frigidiusculæ restant : aër etiam nimium frigidus , refrigerat extrinsecus , intrinsecusque : extrinsecus quidem , exprimendo humorem : intrinsecus verò , quoniam dum calor in angustum nimium cogitur , neque refundi in exteriora , frigore prohibente , potest ; ob

suffo-

suffocationem minuitur; & quandoque interit. Alio modo intrinsecus refrigerat aër, intensè frigidus potissimum, si densitatem obtineat; quoniam inspiratus in Cor, ubi est natiui caloris fomes, frigidus deuenit: non enim pulmonis actio, intensam adeò frigiditatem edomare omnino potest. Aër itaque inter summè frigidum summèque calidum positus, calorem generare potest, siue in caliditatem declinet, siue in frigiditatem; magistamen, si in frigiditatem: ideòque Germani bellicosiores sunt, ob calorem cordis maiorem; calor enim à frigore in interiora deducitur, ubi vnitus inualefcit, quousque citra suffocationis, & oppressionis gradus, atque periculum continetur: at Guithlandi, qui in nimio iam frigore degunt, sicci, & aridi homines, pallidæque albedinis perhibentur; qui calor, & corporis exsiccatio, immodicum calorem indicant: quisque enim calor, humore a-

Sect. 3.
Probi. 61

litur; vnde innatus calor, innatum humorem exigit, & multus multum; cum Guithlandi, aridi sint, parum caloris, paruo in humore obtinere se

indicant. Sed nimium de aliena ferè re loquor : adiiciamus tamen , homines in extremo calore degentes , pusillanimes , paucique caloris & succi esse , ceu Africae interioris populi ; vt Aristoteles in hac regione Pygmaeos reposuerit *lib. de hist. Animal. 8. c. 12.* At populi Climatum mediorum , multum caloris habent ; pro vario tamen regionum situ , & natura ; quod alio in opere fusius explicabimus.

De potu , & cibo ; de somno , & vigilia ; deque excretionè , & retentione , motu , & quiete , quæ superius diximus sufficiunt : de perturbationibus quoque namque ibi , quæ frigus incutiant , & quæ calorem , scripsimus : & licet varietatem aliquam singula hæc capita ex quadruplici causarum serie habitura essent , tamen vt prolixitatem vitemus , præstat compendiosiore narrationem exactiori in posterum præponere.

CAPVT. II.

De Ira Remediis.

INterim vero ad remedia transeamus, & primò ad remedia Iræ, inter calidas perturbationes, primariæ. Huic ergo vel vt præcaueatur, vel vt expellatur, occurritur. Quoad præcauendum autem; animaduertendum est (quod ad superiores quoque affectus, ad omnesque alios extendi potest) duplici modo Iræ occurri, vel præsentaneo eius actui, vel præuiæ eiusdem dispositioni. Præuia dispositio Iræ, est temperamentum calidum, siue proprium, & innatum; siue adscititium, ratione victus, & exercitationum, rerumque aliarum non naturalium. De temperamentis nonnulla scripsit Seneca in 2. lib. de Iræ cap. 18. & 19. inquit enim paratissimam ad Iram esse feruidi animi naturam & rectè; nam vt subiicit, actuosus, & pertinax est ignis, frigus è contra pigros reddit; In

quibus autem humiditas praualet, dicit eiam in initio fœuiorem, motu autem intendi, sed magis acrem, quã grauem euadere: ficcis verò, est ira vehemens, atque robusta: Certum quidem est, calidam temperaturam, accedente potissimum siccitate, iracundam esse, & omnia adscititia, quæ calefaciunt, in Iram disponere, vt de vino dicit *citato cap.* Seneca. Sed melius, etiam præuiã in Iram dispositioni, & præsentaneæ eius incensionis occurremus, si naturam iræ, eiusque triplicem causam, Materialem, Formalem & Emanantem nouerimus, sicut in præcedentibus fecimus. Definitur itaque Ira Appetitus vltionis, cum feruore sanguinis circa Cor, ob apparentem paruifactionem: Causa itaque Emanans, est conceptio adhibitæ paruifactionis, vel illatæ iniuriæ. Causa Formalis, est appetitio vltionis: quamobrem sub cupiditate nos illam reposuimus supra de affectibus. Animus itaque eo modo disponetur, atque mouebitur, quo in cupiditatibus, scilicet intendetur, atque impetuofam quandam excursionem metaphoricè

exhibebit. *Causa Materialis* est sanguinis circa Cor incensio. Qua de re duo obseruare oportet, & animaduerrere, scilicet spirituum incensionem, in incensione sanguinis includi. Secundum est, duplicem motum, organum appetendi subire, *Alterationis*, & *Localem*. Explicatur autem motus *Alterationis* ab Aristotele, quippe qui *Localem* motum producat *lib. de motu animal. cap. 5.* nos autem declarauimus *in libro 1. De motu voluntario.* Si itaque motus & agitatio *Localis* spirituum in *Ira*, consequens calefactionem præcedentem, explicari debeat, is flammæ motui proportione respondet, in acutum nempe excurrit vt supra quoque de affectibus declarauimus.

Causa igitur *Materialis* erit, Spiritus incensi in acutum excurrentes: sanguinem autem omitto, vt qui mediator sit causa: *Causa Formalis*, est *Appetitio*, quæ in animo motum exhibet metaphoricum, motui externo spirituum respondentem: *Causa Emanans*, est *Conceptio paruifactionis & iniuriæ.*

Ex hac causarum expositione, constabit modò quo pacto disponantur ad iracundiam; secundùm quodlibet causæ genus homines.

Secundùm itaque Materialem, (vt ex sensatione ordiamur) duplici modo ad Iram disponimur (sicut duo motus fiunt, Alterationis, & Localis) ex rebus calefacientibus igitur ad alterationem præparamur: ita, temperamentum calidum, vinum, cibi calidi, vehementes motus, tum reliqui; tum vociferationes, & huiusmodi reliquæ; si illis à pueritia assuescamus, ad iracundiam disponunt. Permittere autem spiritibus excursus, & intentionem ab initio, quod cupiditatibus animum iræque aperiendo, fit; disponit ad Iram, ob secundum motum: Huic itaque malo manum admouet Seneca in 2. de Ira. cap. 21. cuius summa est: Vt puer mediis nutriatur, inter iram intentionemque animi, & relaxationem, atque remissionem: secundùm enim hanc postremam, deses redditur, atque imbellis. Illuc etiam spectat, vt præceptores pueris

pedagogique placidi dentur, quod monet sequent. cap.

Secundum autem causam Formalem, ad Iram disponimur, dum obnoxium animum cupiditatibus, assuecimus, ita enim in illum motum, pronus redditur, quod est proximum Iræ genus; Mollis, & deliciofa educatio, ob hanc causam, nos facit in Iram procliues, siquidem cupiditates omnimodas nutrit, & auget, dum nihil illis denegat, atque ita animus ad motum iracundiæ congenerem disponitur. Ita igitur Seneca lib. 2. de Ira cap. 21. *Nihil enim, inquit, magis fecit iracundos, quam educatio mollis, & blanda. Ideo vnicis quò plus indulgetur, pupillisque quò plus licet, corruptior animus est, non resistet offensis, cui nihil unquam denegatum est, cui lacrymas sollicita semper mater abstersit: cui de pedagogo satisfactum est. Non vides ut maiorem quamque fortunam, maior Ira comitetur? In diuitibus, nobilibusque & magistratibus precipuè apparet: cum quidquid leue & inane in animo erat, secundâ se aurâ sustulit. Fælicitas iracundiam nutrit.* Animaduertendum est autem, mollem educationem nobis ad

iracundiam incitamento esse, tum ob causam allatam, tum etiam ob alias causas, quas adducemus mox, cum de causa Iræ agemus. Quoniam autem Ira est appetitio ultionis, vel doloris retribuendi; & cupiditas, à rei difficultate, & multò magis impossibilitate, refrangitur. Aristoteles 2. *Rhetor. cap. de Ira.* efficitur hinc, ut fœlicitas, & potentia Iram augeat, ut Seneca dicebat; siquidem potentes homines, ultionem facere doloremque retribuere valent, ob multam hominum sequelam, modorumque nocendi copiam: atque idcirco, præter alias causas, Ira Diuorum Regum magna est, & fœlicitas Iram auget. Illis autem, quos vlcisci non possumus, quales Principes sunt, non irascimur, nisi qua se se offerat insidiarum occasio; veluti de Harpago Medo ex Iustino constat. Sed pessima omnium ad Iram dispositio est, si publica sit opinio, præclaram rem iracundiam esse, virisque nobilibus dignam, quinimò necessariam, & quæ non nisi per summum dedecus abiici possit; hæc enim imbibita opinio, na-

curam nostram satis per se procliuam,
præcipitem in illam agit. Effectum
hunc nos manu tangimus in præsen-
tia, etenim inueterata cum est opi-
nio generosi hominis etiam, vlcisci
iniurias ad amissum, quique non vl-
ciscantur; vel in vlciscendo deficiant,
(vt pares iniurianti non fuerint) in-
dignos honore esse. Vltionis verò mo-
dus is præstituitur, vt sua manu, &
armis, non iudicis authoritate, & le-
gibus, quisque iniuriam rependat, ius-
que suum sibi restituat. Ex hac opi-
nionem súsque, deque vagante, nam
& populares, & principes homines,
si que Diis placet, etiam sacros per-
uadit, fit vt pro extinguendæ Iræ re-
mediis, vel moderandæ, cogitandis,
toto pectore incumbamus in eam sus-
citandam, & animum efferendum:
ne fortè mitiores effecti, improuiso
alicui dedecori illato, impares fueri-
mus, parumque acerbè, & iracundè
responderimus, honõrique nostro, vt
dicitur, non plenè satisfecerimus.
Multum tamen fulmina Pontificia-
rum Dirarum in Monomachias, de
peruersa opinione minuerunt; vtinam

tandem tota extirpetur, quæ Religioni, quæ Politicæ, quæ ipsimet Militari Disciplinæ toto Cælo repugnat.

Secundùm Emanantem, aliæ dispositiones, ad eundem affectum oriuntur. Causa Emanans est, vt vidimus, Conceptio parui-factionis, illataque, iniuriæ in nos vel nostros: pro cuius examine id præaccipere oportet; In rebus solùm, quas curamus, & diligimus, nos parui-factionem, & incommodum, & iniuriam sentire, vel curare: hanc ob causam, liberalis vt dicit Aristoteles *lib. 4. Ethic. cap. 1.*

Quantum ad pecunias, est in societate vitæ perfacilis, iniuriam enim, inquit, perpeti potest, tum magni pecunias non aestimet, & 2. Rhetor. cap. de Ira eam conclusionem habet. Preparatur enim quisque ad suam cuiusque Iram, ab eo affectu, qui intus est: & paulò antè pro fundamento iecerat, Homines, omnino dum cupiunt, & rem suam rectè non agunt, (quia scilicet impedimentum anteponitur) iracundos esse; & sensu constat: nam celebris aliquis Iuris consultus, si in militari expeditione, à Principe post habeatur, nihil com-

mouetur; at vero si in iudicibus eligendis, vel alicuius nobilis Academiae Doctoribus, vel nulla eius ratio habeatur; vel etiam, alij, ipsi praeferrantur, angore animi conficitur. Ratio vero est, quoniam militares honores non appetit, neque se ducem proficitur; at Iuris peritiam iactat, & debitos Arti honores, in suae virtutis testimonium, expetit. Ita, cupiditas rei alicuius, reddit nobis sensibiliorem iniuriam, & incommodum, atque parui-factionem, per quam eiusmodi re spoliatur: Ratione vero animi nostri sentientis, reddimur ad sentienda mala illata, & etiam ad suspicanda, faciles, duabus de causis; scilicet ab Animi mollitie, atque ab eiusdem aegritudine, & mœrore: Mollities autem Animi, facit quod Corporis Mollities, ob quam, nos altiore sinu, exteriora sensibilia recipimus: sic animo ob suam, obiecta sensibilia altius haurit: Aegritudo autem & mœror animi, sensatiora quoque illi mala facit: nam vt Corpus, quod ab ulcere aliquo inflammatur, nihil vel molle sustinere potest absque multa turbatio-

ne, ita quoque Animus, ob infortuna externa, vel ob prauam constitutionem æger, & vlcerosus, à quauis ferè specie læditur; & Aristoteles fatetur 2. *Rhetor. cap. de Ira*, eos, quos dura aliqua fortuna premit, in Iram pronos esse; & Seneca lib. 2. *de Ira cap. 20.* dicit. *Sed quemadmodum natura quosdam proclines in Iram facit, ita multe incidunt cause, quæ idem possint, quod natura. Alios, morbus, aut iniuria corporum in hoc produxit; alios labor, & continua peruigilia, noctesque sollicita, & desideria, amoresque, & quicquid aliud aut corpori nocuit, aut animo egram mentem in querelas parat;* & 1. lib. cap. 13. atque iracundissimi infantes, senesque & aegri sunt, & inualidum omne, natura querulum est: Et lib. 3. cap. 10 De mollitie autem idem Seneca loquitur pulcherrimè *Epistola 25. eodem lib.* vbi post exemplum Myadridis Sybaritæ, hominis mollissimi, qui sæpius questus de foliis rosæ duplicatis incubuisse subiungit, *Vbi Animum simul & Corpus, voluptates corrumpere, nihil tolerabile videtur; non quia dura, sed quia molles patimur.*

Dux aliæ restant dispositiones se-

secundùm causam Emanantem: Alia est, Credulitas iis, qui nos laceratos, vel alio modo offensos, renunciant. Aliã est, Ignobilis quãdam in suspicionem propensio, qua facile credimus, ab aliis nos contemni, & despici: Nam parui-factio, requirit non solùm malum illatum, sed contemptum quoque in lædente: & cùm nos casu, non sponte offensos credimus, Iram remittimus: Pusillanimes autem homines, qui se contemptibiles intimè cognoscunt, facile etiam se contemni credunt: idcirco omnis ignobilis, atque debilis hominum conditio de seque male sentiens, suspiciosa est; vt historia de illo, qui capras furatus erat, celebris est, quòd duos homines de omni alia re secretò colloquentes, (quòd ipsum fortè fortuna in transeundo respicerent) interrogavit ecquid de capris loquerentur. Quoad credulitatem autem, certum est, nos non commoueri à parui-factione, nisi quatenus eam intelligimus; nam etsi, quis ignorantes perstringeret, nihil à re ignota commoueremur. At verò, non omnes læsiones,

nobis præsentibus inferuntur à præsentibus, sed maior pars offensarum, ex aliorum renunciatione innotescit: verùm sæpe qui renunciant, mentiuntur, ad amicitias dissoluendas, vel inimicitias incendendas: hinc qui creduli sunt, frequentibus irascendi occasionibus sunt expositi. Tot ergo sunt dispositiones ad Iram iuxta causas eam producentes, quibus singulis, dispositiones contrarias, atque remedia opponamus. Dispositionum autem numerum repetamus. Sunt primo loco res calefacientes, vel naturales, vel adscititiæ. Secundo, insuescere cupiditatibus, & Iræ ab initio: insuescere autem cupiditatibus, ad omnes causas, materialem, formalem, & emanantem disponit. Tertio, (sed magis extrinseca dispositio) est nimia fortunæ felicitas, & potentia. Quarto, opinio communiter recepta, Iram esse laudabilem, & dignam nobili viro affectionem, servilæque non irasci; quæ duæ dispositiones, ad formalem causam disponunt. Quinto loco, est animi, & corporis diffluens mollities. Sexto, eiusdem animi ægri-

tudo, & mæror. Septimo, credulitas. Octauo, sui contemptus suspicio.

Rebus igitur calefacientibus, con- Caliditas:
trariis oportet occurrere, cum immodicùm ipsæ calefecerint; res quidem innatas, (vt temperamentum) moderando contrariis frigidisque; res verò adscititias calefacientes, fugiendo, vt vinum, nimium cibum, vt monet Seneca cap. 20. 1. de Ira, qui etiam motum Corporis, & Animi, ad idem moderatur. *Calentibus, inquit, ingenis subtrahatur vinum, quod pueris Plato negandum putat, & ignem vetat igne incitari. Nec cibus quidem implendi sunt: distendentur enim Corpora: & Animi cum Corpore tumescunt. Labor illos citra lassitudinem exerceat, vt minuatur, non vt consumantur calor, nimiùsque ille feruor despumet. Lusus quoque proderant; modica enim voluptas, laxat animos, & temperat.* Hæc Seneca, & doctè, verèque, præterquam quod de labore differit; nam motus citra lassitudinem, calefacit potius, quàm frige-faciât; quamobrem præceptum eiusmodi; declaratione eget; nos autem Deo dante conscribemus librum *De Motibus*

Cupidi-
tas.

Senec. ap.
21. de Ira.

Corporis quoad Animi mores : Interim
quæ superius diximus de Motibus, in
Capite de Rebus non naturalibus,
hîc animo repetantur ; secunda verò
dispositioni, ne animum, & spiritus
motui illi excurrenti obnoxios assue-
faciamus, resistit ; Præceptores, Pæ-
dagogos atque in vniuersum eos qui-
bus cum pueri versantur, placidos es-
se. Vnde puer, apud Platonem edu-
catus, miratus est, patrem excandes-
centem, nihilque simile vnquam se
penes Platonem vidisse testatus est.
Placidum quoque vitæ genium & amœ-
næ artes excolendæ. Idem Seneca, de
Ira, lib. 3. cap. 9. Huc & illud spectat,
vt assuescamus Iram ab exterioribus
partibus, in interiores recondere ; ita
enim retunditur, & cohibetur ille spi-
rituum, & animi exeursus. Dicitur in

Senec. 3. de
Ira cap. 13.

*Socrate, Ira signum fuisse, vocem submit-
tere ; loqui parcius : apparebat autem illum
sibi obstare.*

Senec. 3. de
Ira cap. 22
33. 34.

Ad Cupiditates autem depellendas,
& ab initio coercendas est ; Vt exter-
na bona non suspiciamus, ad quæ so-
la fertur cupiditas. De conceptu au-
tem rerum externarum, nos in Cap:

De

De Tristitia loquuti sumus, & fusius in *lib. de Motibus, & viis Anima*. Inter externa autem bona præcauenda, sunt potissimum Sensuum commoda, & titillationes: tum Visus, tum Auditus; necnon Odoratus, & præcipuè Gustus & Tactus. Ex deprauatione autem Visus, eorum pendet morositas, qui argento parum splendido offenduntur, & stanno non ad solem perlucente: Sed præcipuè, Gustus, & Tactus sunt formandi: aliàs longa querelarum aperitur materies; Tactus enim vbique exercetur; & aliqua necessariò patitur, si homines esse velimus, non fœminis molliorès, & desidiores: Quamobrem aureum dogma est illud Senecæ, ad malum hoc euitandum. *Omnes sensus, inquit, perducendi sunt ad firmitatem. Naturâ patientes sunt, si animus illos desinat corrumpere, qui quotidie ad rationem reddendam vocandus est.* Illuc etiã spectat aliud dogma. *Durè, inquit, tractandus animus est, ut ictum non sentiat, nisi grauem.* Quæ duo dogmata ad coercendam cupiditatem, simulque ad mollitiem præcauendam faciunt. Hæc

Cap. 35.
3. de Ira.

3. de Ira
cap. 36.

2. de Ira
cap. 26.

Mollities.

Agricu-
do.

eadem firmitas , & durities , ægritudi-
dini animi obstat , ne adueniat : Sed
huic præterea resistunt , quæ nos ad-
uersus Tristitiam docuimus supra *cap.*
de Tristitia ; & ad eadem pertinent ,
Euitatio inedia , lassationis , darique
artibus amœnis *lib. 3. de Ira cap. 9. &*
10. Quamobrem aduersus quatuor
dispositiones, recensuimus ordine quo
occurrerunt , non quo enumerauimus;
Restant aliæ quatuor. Opinio
autem diuulgata , contrariâ opinio-
ne , & intentâ meditatione tollitur :
& valde succurrunt libri , qui aduer-
sum Iram habentur : verbi gratia,
Senecæ , & si qui alij sunt. Quod no-
bis idem Seneca significauit. *Pacem,*
inquit , demus animo , quam dabit præ-
ceptorum salutarium assidua meditatio , a-
ctusque rerum boni , & intenta mens ad
vnus honesti cupiditatem. Verum hæc
in re , vt altioribus radicibus subni-
xâ , diutius aliquanto immorari vo-
lo , & Rhetorum præceptum sequar,
vt prius rationibus , pro Ira , occurre-
re doceam. Dico autem , eas rationes,
quæ longâ per manus traditione ani-
mos nostros , veluti certa quædam,

Lib. 3.
cap. 41.
de Ira.

& prima principia, siue principijs hu-
iusmodi immediatè innixa, occupant:
Est igitur ratio contraria: Ad Iram
enim reduco; quoniam placidi, pro
inertibus habentur: inertia verò sem-
per despecta, nunc vero etiam igno-
miniosa, & infamis est; ita vt in præ-
sentia quoque, post tot leges, & Pon-
tificia iussa, Rauennæ, quæ tempo-
rali Pontificis ditioni immediatè sub-
est, fuerit qui testem contrarium,
tanquam infamem repellere, eò quod
nonnullas iniurias non esset vltus,
contenderet. Huic rationi respondet
Seneca lib. 3. de Ira, his verbis. *Pla- Cap. 41.*
cidii pro inertibus habentur primo forsitan
aspectu, sed simul ac equalitas vite fidem
facit, non segnitiam illam sed animi pa-
cem, veneratur idem illos populus, colit-
que. Quod Catonis exemplo apertum
quoque, ultra Senecæ auctoritatem,
redditur; patientissimè enim iniurias
sustinuit, & iniecta etiam spura: ne-
mini tamen deinceps tantus honor
habitus: vt Lucanus, ciuilem tum
temporis opinionem, quam sequitur
Poëta, exprimens, (veluti par mo-
mentum) Catonis sententiam, Deo,

rùm iudicio , opposuerit. De Pompeio enim , & Cæsare hæc cecinit.

— *Quis iustius induit arma*

Lib. I.
versu 118.

Scire nefas : magno se iudice quisque tuetur,

*Victrix causa Diis placuit ; sed victa Ca-
toni.*

Verum hæc Senecæ responsio antiquitus excipiebatur , & nunc quoque in quibusdam benè constitutis Rebus publicis , veluti Venetiis , & sicubi alibi , Ciues præclari , publico bono intenti , sæpe ob publicam charitatem , priuatas despiciunt iniurias , eo contenti honore , quem interim in demandatis sibi negotiis publicis , præclarè , & constanter operando consequuntur. Huiusmodi itaque honoris conscientiam fulti , præsentem interim calumniam , in quam ex lenitate incidunt , ferre valent : interim verò populus , dum pacem , & constantiam , publicamque charitatem esse (quam priùs ignauiam iudicauerat) agnoscit , summas in eos laudes , hoc eodem nomine congerit. At in reliqua Ita-

lia, quicumque arma profitentur, simul ac irrogatam iniuriam non vlciscuntur, ludibrio sunt omnibus: qui verò non profitentur arma, nisi vltionem, & ipsi procurent, non sunt quidem infames, sed contemptui habentur: in his tamen, sed rarò (Sacros homines excipio) quibus oblatas æquo animo iniurias, honor habeatur, habet locum aliquando responsio Senecæ; dico autem rarò, quoniam his temporibus, ad id devenire, vt ex lenitate, iudicetur pax animi, hæcque ab ignavia diiudicetur, est valde operosum, & summæ difficultatis: quamobrem alio modo respondere oportet, vt satisfaciamus etiam illis, qui arma tractant; Dicamus igitur Iram non conducere ad exigendam vltionem, sed potius obesse: præterea, *Ira perturbat pugnandi artem, & quæ noceat solium, non quæ caueat aspicit*, 2. de Ira cap. 14. Deinceps iracundi expositi sunt, deiecti, & incauti, eodem lib. cap. 16. etiam Ira sæpe in medio opere, aliquando in aggressionem ad periculi speciem cominus inspectam deferues-

cit : præstat itaque , constantiam , & firmitatem animi pro Ira inducere , quæ aduersus pericula , manet imperterrita : neque temeraria , & incauta ad ultionem ruit , sed lucidum iudicium , & imperturbatam rationem seruat. Dum autem ultionem concedemus , reliqua de Ira compescenda , nunc quoque audientur à ciuilibus hominibus : at responsio , quæ ultionis dimissionem exigit , à viris solùm animi purgati recipietur : quorum principiis , quæcunque in hanc partem differit Seneca , congruunt. Quod modò dixi , non esse vtilem , ad vlciscendum , Iram sed potius obesse ; duobus in locis pulcherrimè testatur Seneca , quos quin apponam facere non possum. Est autem alter locus *cap. ultimo 1. lib. de Ira. Quid quod (inquit) ad actiones quoque in quibus solis , opera iracundia videtur necessaria , multò per se ratio fortior est ? Nam cum iudicauit aliquid faciendum , in eo perseuerat : nihil enim melius inuentura est se ipsâ , quo mutetur : ideo stat semel constitutis. Iram sepe misericordia retrò egit. Habet enim non solidum robur , sed vanum*

rumorem, violentisque principis utitur, non aliter quam venti, qui à terra surgunt, & fluminibus, paludibusque concepti, sine pertinacia vehementes sunt. Incipit magno impetu, deinde deficit, ante tempus fatigata: & quæ nihil aliud, quam crudelitatem, ac noua genera pœnarum versauerat, cum animaduertendum est, iam fracta leuisque est: affectus citò cadit: equalis est ratio. Alius vero locus habetur cap. 12. eiusdem libri. Verba sunt Irasce pro suis, non est pij animi, sed infirmi. Illud pulchrum, dignumque parentibus, liberis, amicis, ciuibus, prodire defensorem, ipso officio ducente; volentem, iudicantem, prouidentem; non impulsam, & rabidam. Nullus enim affectus, vindicandi cupidior est, quam Ira: & ob id ipsum, ad vindicandum inhabilis; prerapida, & amens: ut omnis ferè cupiditas; ipsa sibi in id, in quod properat, opponitur. Itaque nec in pace, nec in bello unquam bona fuit. Pacem enim similem belli efficit: in armis verò obliuiscitur, Martem esse communem, venitque in alienam potestatem, dum in sua non est. Ira sublatâ ratione, pro Ira faciente, tum, quæ sunt contra ipsam, in numero:

haberi debent, quæ penes Senecam, & alios leguntur. Desumuntur verò ex Turpitudine, quam Corpori indit, 1. *lib. de Ira cap. 1.* & 2. *lib. cap. 36.* & Animo; Ex Malis, & periculis ab ipso emergentibus, quæ enumerat Seneca 2. *lib. de Ira cap. 36.* Ex memoria nostræ mortalitatis, vt *cap. ult. & penultimo 3. de Ira*, & alia præterea capita sunt, quæ vniuersa referre, non est præsentis instituti. His ergo elementis, peruulgatæ opinionioni de irascendo, resistemus; & contrariam dispositionem subire poterimus.

Potentia
& fortunæ
felicitas.

Eisdem quoque vti debemus aduersus potentia, & fortunæ felicitatis tumorem; ostendendo nihil ad vltionem (quam eiusmodi conditio tantopere expetit) facere: sed addere præterea possumus, si cum diuitibus agamus; Pericula diuitibus potissimū à fisco imminetia, ob sumptas vltiones: hoc in multis regionibus pro dominationibus modò altius animos penetrat; nam dictis facta respondent: Iram verò alere, cui nullus patere debeat vltionis exitus, est fumo, & suffocato incendio animum opprime-

re. Sed generosis, & magnanimis hominibus id potius proponere debemus: Debilium, & inferiorum hominum iniurias, ab altis securisque animis despiciendas esse; neque reputari posse inertiam, cum constet tantâ facilitate, & certitudine, expositam habere, dummodo velint, ultionem: ita Cæsar respondit Metello, facilius sibi esse eius obtinere mortem, quam imperare; Et infanti nos cædenti, ignoscere est laudabile: impotens, & puerile, contrarium: Et audaces quoque & animosæ belluæ minorum canum latratus despiciunt (vt Lituani vsi dicuntur) neque illos quidem respicere dignari.

Credulitati autem nihil æquè meretur, ac exempla multa perlegisse, Credulitas.
corum qui ad amicitias dissoluendas, vel inimicitias incendendas, summâ arte, confictis iniuriis, credulos homines fefellerunt, vt etiam legantur occisæ à maritis, innocentes vxores, ceu manifestò adulteræ, ob solam artem fallentium, mentientiûmque hominum. Vnde Seneca, inter cætera, pulcherrimum hoc quoque moni-

mentum reliquit. *Ex his, quæ nos offendunt, alia renunciantur nobis, alia ipsi audimus, & videmus. His quæ narrata sunt, non debemus citò credere: multi ementiuntur ut decipiant; multi quia decepti sunt: alius criminatione gratiam captat, & fingit iniuriam, ut videatur doluisse factam: est aliquis malignus, & qui amicitia coherentes, diducere velit; est suspicax, & qui ludos spectare cupiat, & ex longinquo, tutoque speculetur, quos commisit. Sequitur autem, ostendens, quàm sit iniquum credere alicui de amico, deque iniuria, cui de paruula summa, non nisi iurato, & altera parte prius auditâ, fides adhiberetur.*

Suspicio
contem-
ptus.

Suspicio tandem contemptus, ex sui turpitudine, debet medicamen sufficiens contrahere. Qui enim suspicatur se despici, aliquas in se causas contemptus agnoscit: vnde rusticos homines, ita suspiciosos videmus, ad omnèque momentum, respicere vultus circumstantiam, cum in nobiles homines, inciderint: Et tandem à nemine se despici credit, quem non superiorem, seque digniorem reputet. Est præterea periculi plena res, & sæ-

*Sense. li. 2.
cap. 23.*

pe nos innocentes immittit, eius præcepti immemores: *Iram in suspensore retinendam esse, quoniam pœna dilata potest* Seneca loco citato. *exigi, non potest exacta reuocari.* Confirmaturque res exemplo Zenonis Eleatis, qui Hyppiam Tyrannum, ipsum torquentem pro tyrannidij sociis extorquendis, falsâ nominatione impulit, hominem sæuum, & suspiciosum, ad carissimos quosque amicos occidendos. Fauentiæ paucis abhinc annis, quidam ex Paciorum familia visum alium nobilem interfecit, solâ suspicione adductus, tanquam, qui libellum famosum in eum affixisset: post homicidium perpetratum, tandem detectus est autor, qui pistor fuerat; in ultionem acceptæ contumeliæ. His itaque & aliis exemplis continendus est pronus in suspicionem animus.

CAPVT III.

De instantis Iræ remediis.

QUÆ dispositionibus ad Iram occurrunt, nosque in lenitatem parant, & componunt, iisdem, Iræ instanti medemur, & resistimus, si in actum ducantur in præsentemque pugnam. Verbi gratia, parum suspiciosum esse; dispositio est, ab Ira præcauens, & conseruans: sed cùm aliquod fuerit illatum damnum, tum, præsentaneâ consideratione, nullum subesse tui contemptum, post æquum, & lene examen decernere; hoc iam instantem Iram repellit. Item habere in animo, cognitione habituali infixum, nihil Iram prodesse, sed ad omnia, & ad ipsam vltionem, obesse; est dispositio aduersum Iram: sed actualis consideratio malorum. *cap. 5. 3. de Ira*, ab ipsa prodeuntium, Iræ iam instanti, & titillanti resistit. Quoad primum, æquum scilicet & lene exa-

men, à Seneca describitur *lib. 2. de Ira cap. 30. & 31.* vbi vult in læsionibus iam receptis, naturam voluptatemque facientium excuti; consideremus ætatem, & puero condonemus; sexum, mulier enim errat; vinculum, patri enim ius est offendere, qui tamen profuit; statum, nam iudicis sententiæ credendum potius est, quam nostræ; Regis iustè punientis iustitiæ cedendum est; iniustè vexantis, fortunæ conditionem, & modum operandi; nam eius, qui iussus lædit, ignoscere necessitati oportet: eius qui læsus est, iniuriam, quam tu priùs fecisti sustine: habitum animi; nam boni factum, ne reputes iniquum: malum verò iniuriari, quis miretur? Et eodem capite, subiungit. Duo esse quæ iracundiam concitant; Primum, si iniuriam videntur accepisse: secundum si iniquè accepisse. Vbi Seneca, iniuriam, pro sola læsione accipit, cùm tamen Aristoteli sit læsio contra legem, spontanea; ideóque includat iniquitatem: iniqua verò (inquit) quædam iudicant homines, quòd pati ea non debuerint; quædam, quia non spe-

rauerint : & hæc est causa, quamobrem in domesticis, minima offendant; in amicis, iniuriam vocemus negligentiam. Ostendit vero nos vndique, & vbique, offensionibus esse paratos oportere. Nam, inquit, vbi tranquilla tibi omnia videntur, ibi nocitura non desunt, sed quiescunt. Semper futurum aliquid, quod te offendat existima.

Aliud remedium.

Quæ autem de his duabus dispositionibus, cæteris omnibus applica. Aduersus quoque, instantem Iram, ob susceptam læsionem, valde confert considerare, quoties nos eadem in alios peccauimus; quod probè monuit Seneca, lib 2°. cap. 28°. *Quisquis (inquit) ad se retulerit, quotiens ipse in suspicionem falsam inciderit, quàm multis officiis suis fortusâ speciem iniuriæ induerit; quàm multos post odium amare cæperit; poterit non statim irasci: utique sibi tacitus ad singula, quibus offenditur, dixerit. Hæc & ipse commisi. Et paulo post; faciet nos moderatiores, respectus nostri, si consuluerimus nos: Nunquid & ipsi aliquid tale commisimus? Nunquid sic errauimus?*

Nobile quoque aliud remedium Remediū aliud.
ex eodem cap. habemus, scil. Mo-
ram, vt, iram in deliberationem vocē-
mus, vtrum expediat eam damnare,
vel tantum. Quod ita Seneca expref-
sit; *Maximum remedium est Ira mora. Nec
ab illa pete ab initio, vt ignoscat, sed vt iu-
dicet. Detinet, si expectat.*

Sed optimum remedij genus fit, Aliud.
nosse se ipsam, qua ex parte fit imbe-
cillis. Alios enim verborum, alios re-
rum contumeliæ mouent; & veluti
Seneca subiungit; *Alius vult nobili- Senec. li. 3.
tati suæ parci, alius forma; hic doctissimus, de Ira,
ille vult elegantissimus haberi: Hic super- cap. 10.
bia impatiens est, hic contumacia: Quis- § II.*
que igitur eas offensionum occasio-
nes vitet; quibus se imparem sentit:
qui superbix impatiens est, non sub-
eat aulicam vitam, neque se alieno
dominatui mancipet: qui vero con-
tumaciam ferre nequit, non adeat
forum, non subeat diuersoria; vel
minus quàm potest; consuetudinem-
que hominum contumacium vitet.

Imbecillo quoque homini id sum- Aliud.
mopere prodest, nolle omnia videre,
audiréque: nam, vt dicit Seneca idem,

Non vis iracundus esse? ne sis curiosus.

Aliud.

Postremum est, attentum esse Iræ principiiis; morbum enim signa præcurrunt, quemadmodum tempestatibus, ac pluviæ ante ipsas, notæ veniunt; ita Iræ, amoris, omniumque procellarum animos vexantium, sunt quædam prænuncia: oportet itaque obstare principiiis, & cohibere tum animum, & linguam, contumeliæque receptæ speciei, aliam substituere in facultate imaginatrice. Summa verò huius totius cûræ, iræ scilicet imminentis repellendæ, est (vt eam ad methodum reducamus) obstare actu causis eius, Emananti, scilicet Formali, & Materiali; atque in morbi initio; vt vires, antequam superent, opprimantur.

CAPVT

CAPVT IV.

*De Ira ab occupato iam animo
reijcienda.*

REstat vt Iram quæ iam vltro ir-
ruperit, depellamus animo. Me-
thodum verò ex iis, quæ de tristitia,
timorèque diximus, deducere quis-
que potest. Scopus autem erit, vt cau-
sas Iræ dimoueamus, vel per deriu-
ationem, vel per expulsionem. Sed de-
riuatio iræ non admodum est facilis,
ob animi spirituumque intensiorem,
quam sæpius ostendimus: verùm hic
repetenda sunt, ad curæ praxim, quæ
Aristot. de eius speciebus dixit. 4.
Eth. cap. De Mansuetudine. Quadri-
fariam verò distinxit, in Iracundos
in Excandescentes, in Acerbos, & in
Infestos. Iracundi erunt, qui citò iras-
cuntur, & magis quam oporteat, sed
citò desistunt; Excandescentes autem
adhuc superant iracundos celeriter
irascendi, & quantitate, intensione-

que Iræ; & celeritate quiescēdi, Iræ que deponendæ ratione: nam Irã non continent, sed reddunt eam, scilicet vel verbis, vel operibus: Acerbi autem, Iram, non nisi cum vlciscuntur, deponunt; vel eam multo post tempore solùm concoquunt: Infesti, diutius adhuc quàm acerbi retinent Iram, atque implacabilius vltionem exercent; quàm, grauiorem adhuc quàm acerbi, exposcunt. Iracundi igitur & potissimum, Excandescentes, nullo remedio ad Iram deponendam egent, cum ipsorum Ira seipsam consumat, antequam possint manus admoueri; ignemque sulphurei pulueris refert, qui statim, atque accenditur, puluerem vniuersum depascitur, seque extinguit, pabulum consumendo. Acerborum verò, & Infestorum Ira, ob moram, medicamentum expectat; sed pertinax est, atque rebellis: procedendum enim est, per causas coniunctas, ipsas vel deriuando, vel expellendo. Deriuatur autem causa emanans, si cogitatio in rem aliam, phantasiaque in aliud simulachrum conuertatur: quod facilius à nobis ipsis obtinebi-

mus, si dimittere cogitationem iniuriae proponamus, non ut perpetuò despecturi, sed ut repetituri. Interim verò, dum suspendimus, cessat Ira, vel saltem facilius, deinceps erit, eius retardata obliuisci, quam in initio, & integram potuimus suspendere. Tentemus autem deuiare cogitationem in simulachrum periculi alicuius imminentis, sed ab iniuria, iniurianteque alieni, si id patiatur occasio: nam periculi species vincit admodum memoriam. Seneca.

Deriuatio quoque, ex Senecæ sententia, ad Iram compescendam appositā est; qui *cap. 39. 3. lib. de Ira* dicit. *Sermones inferet, vel gratos, vel nouos, & cupiditate cognoscendi, auocabit: Quod remedium, Iræ debiliori conuenit, vè ipse etiam notat. Deriuatio autem Causæ Formalis, est per similes affectus: verbi gratia, pudorem aut vehementem aliquam emollientemque cupiditatem. Ita Lucretius cecinit, Venerem solam, à Marte pacem impetrare posse.*

*Nam tu sola potes tranquilla pace iuuare
Mortales quoniam belli fera munera Ma-
uors*

*Armipotens regit, in gremium, qui sepe
tuum se*

Reiicit, eterno denictus vulnere amoris.

Et de pudore legitur apud Senecam, aliquos, ob sui imaginem in speculo inspectam, remisisse Iram, quod eos inspectę turpitudinis puderet: ipseque monet *lib. 3. cap. 39. ut incutiāmus pudorem, cui iratus non resistat.* De Spirituum verò deriuatione; & hi deriuantur ad Animi motum, & deriuationem, veluti diximus: deriuantur etiam materialius, ad Sanguinis deriuationem: Vnde in diuturna animi incensione, si sanguis per venam educeretur, profuturum crederem.

Restat expulsio Irę, per actionem contrariam. Ipsa verò Causa Emanans expellitur, (iniurię scilicet conceptio,) per contrariam opinionem, vt cū me nihil mali recepisse, licet prius visum fuerit, deprehenderim: vel, malum quidem recepisse, sed iustè, non iniu-

stè; vt cùm pater, ad virtutem, filios verberat; & Princeps, peccantes subditos punit, vt emendentur: verùm si receperimus, & iniustè, malum; ita vt habitualis opinio acceptæ iniuriæ, non queat per contrariam expelli, remoueamus saltem actualem considerationem, defixumque phantasmatis intuitum, quod iniuriam iniuriantemque repræsentat.

Et cùm concurrat grauis alicuius viri, & quem nos reuereamur, admonitio, non esse iniuriam, vel non esse eam considerandam, multò magis cedit imbibita prius consideratio. Alia de causa prodest auctoritas obiurgantis; quoniam expellit causam formalem Iræ, & hinc, iam transibimus ad formalem causam: nam etiam si adsit emanans, cõceptio scilicet iniuriæ receptæ, motum tamen animi sensitiui comprimit, & sedat. Ita Seneca refert de Augusto apud Pollionem cœnante, qui Pollionis Iræ insaniam, aduersus seruum ob fractum Crystallinum, morti damnatum, compescuit, seuerè illum, factis potius, quàm verbis obiurgando; omnia enim cristallina coram se

frangi iussit, & seruum liberum pronunciauit: Etpiscinam, vbi seruus, cibus esse muranarum debebat, compleri voluit.

Cap. 19.
3. de Ira.

Timor etiam est affectus, qui maximo Iræ motui contrarius est, idcircoque eam expellit si præualet. Seneca;
Omni arte requiem furori dabit; si vehementior erit, aut pudorem illi, cui non resistat incutiet, aut metum.

Commiseratio etiam est contrarius Iræ affectus, quique eam dissoluat. Ut enim rectè dixit idem Seneca. *Iram sepe misericordata retrò egit.*

Superueniens quoque tristitia, si magna sit, Iram tollit: nam in Ira animus excurrit, in tristitia opprimitur, & quodammodo suffocatur: qui motus, omnino repugnant: ita vt, qui ex his, præualet, alterum absumat.

Delectatio quoque Iram dissipat: nam motus diffusionis, intentionem animi relaxat. Sed inter deriuandorum causas sub cupiditate emolliente eam comprehendimus. Motiones autem spirituum, ab animi motibus pendēt. Et hæc sufficiant; nam plenius agemus de curatione. Affectuū in lib. cura-

torio, vbi Affectionum remedia, vt principale argumentum plenè pertrahabimus.

C A P V T V.

REstarent affectiones Cupiditatis, Voluptatisque curandæ; sed alterius curam, nempe Cupiditatis *in cap. de tristitia* sumus prosequuti; alterius verò scilicet Voluptatis, ex eodem cap. per contrariam rationem elucescit. Restat vt immediatius ea quæ huc vsque dicta sunt, Atræ Bilis curæ applicemus. Primò itaque est inspiciendum propositi hominis temperamentum, quod nisi arte solertiâque medica deprehendi non potest: saltem intelligatur, num in Tristitiam, an in Lætitiam sit à natura propensus: sique in Tristitiam, vtrum meticulosus, an vero iracundus aliquando; & num breuis, mobilisque iræ sit, cum irascitur; an vero tenacis: vtrum frequenter irascatur, an rarò; & ad horribilis rei præsentiam, vtrum firmus persistet animus, an verò omnino diffluat: an ob pudorem contineatur; etiam si in fugam deinde inclinet. Ingenium quoque

acutum - ne, an hebes sit perpendere oportet : nam si ingenium acutum & docile sit, comprehendemus Bilis Atræ portionem nitidam esse, non fæculentam, & turbidam. Si verò motus animi in iracundiam, & reliqui motus, prætereaque motus corporis, celeres sint, velocesque & mobiles, non persistentes, tenuem eam; & si motus, è contra se habeant, ipsam crassam esse cognoscemus. Si verò tristitia præpolleat, & metus secundum naturam, hilaritati, & audaciæ; innotescet nobis, esse frigidam Atram eam Bilem, non calidam : proque tristitiæ, & metus excessu, frigiditatem eius quoque caliditati præpollere pronuntiabimus.

Post temperamentum, vitæ genus considerandum est; quod ex duplici re resultat, alteram; casus imponit, ut regna, nobilitas, opes, honores, contrariæque conditiones : alterum, nos eligimus, & vsurpamus; quam personam enim gerere velimus, à nobis proficiscitur : utrum scilicet, Militiam vel Eloquentiam, vel Ciuile ius, vel Philosophiam profiteri veli-

mus ; in quas tamen electiones disponimur à naturali crasi ; sed plerumque vel ab imitatione , vel ab aliena voluntate parentum peruertimur.

Oportet post hæc animaduvertere, Canon.
vtrum temperamentum, conditio fortunæ, & persona suscepta conspirent, an vero discrepent ; & vtrum singulæ singulis ; an duæ reliquæ aduersentur, vel simul conspirent, verbi gratia frigidum, & inæstum temperamentum, & conditio seruilis. Vel (quoniam penes nos vera seruitus est iam aboblita) conditio humilis, & inops, ars vero sit sedentaria, & depressa despectaque , seu quæ in sacro Euangelio in filio Prodigio post consumptas opes describitur. Omnes hæc igitur conditiones, in inæstitiam producendam frigiditatemque augendam conspirant tenduntque. Ita in lætitiâ consentiunt, temperamentum calidum, & humidum, humiditate aëreâ ; conditio verò nobilis, diuesque & primaria : persona verò ; vel nulli certæ rei addicta, sed per varias voluptates tempus conterens , dum indulget modò venatui, modò piscationibus, modò

hastiludiis ; nunc choreis , nunc musicis conuentibus , nunc aliis voluptatibus , hilaritatibusque. Vel si est certæ rei addicta , est & primariæ existimationis in ea Ciuitate , vel Regione , vt, Militum Ducem esse, Iuriconsultum , & cætera huiusmodi.

Canon.

In vita verò eligenda, vel assignanda ; temperamento inspecto, animaduertendum est , propensionem naturalem , ex temperamento procedentem , non esse admodum cogendam , neque admodum diducendam : verbi gratia ; Is, qui natura est tristior , non est ad summæ , & profusæ voluptatis vitam educendus , nam ob naturalem repugnantiam , antipathiamque , in eiusmodi vita contineri non poterit , grauatéque voluptatum earum durationem feret ; vt varius necessariò sit futurus , parumque decorum seruaturus. Si itaque tristis quis sit , eum non ad excedentem lætitiã , sed versus mediocritatem ducere debemus ; ita tamen , vt eum citra mediocritatem , versus tristitiã relinquamus , potiusque vltra] protrahamus vitã : itaque huic & seuerior habitus est assignan-

dus. Ita si quisquam sit lenis ingenij,
 simplexque ac disertus, ne illum in
 aulam impellas, insidiosissimum vitæ
 genus, & amarulentissimum; Relin-
 quamus igitur vnumquemque propè
 naturalem eius propèssionem; ita tamè
 vt intra virtutis & rationis ambitum
 perducatur. Ita monuit summâ pru-
 dentiâ Marcus Tullius 1. *Lib. Offic.* cu-
 ius verba inter cætera sunt. *Admodum*
autem tuenda sunt sua cuique non vitiosa,
sed tamen propria, quò facilius decorum il-
lud, quod querimus, retineatur: sic enim
est faciendum, vt contra naturam vniuer-
sam nihil contendamus: (Vocat natu-
ram vniuersam Cicero, ex sua ipsius
declaracione, eam, vt ratio imperet
affectibus) cã tamen conseruatã, propriam
naturam sequamur: vt etiam si sint alia
grauiora, atque meliora, tamen nos, studia
nostra, nature regulã metiamur: neque enim
nature attinet repugnare, neque quicquam
sequi, quod assequi nequeas; Ex quo, ma-
gis emergit, quale sit decorum illud: ideo-
que nihil decet, inuitã, vt aiunt, Miner-
uo, idest aduersante, & repugnante natu-
rã. Omnino si quicquam est decorum, ni-
hil est profecto magis, quam equabilitas, tũ

uniuersæ vite, tum singularum actionum, quam conseruare non possis, si aliorum naturam imiseris, omittas tuam.

Post hæc verò considerare oportet, Temperamentum, & habitum vnum quemque se intendere, nisi à contrario coerceatur; sique potissimum, illis, procedendo, & ingrauescendo, ætas opem ferat: Sic, temperamento sicco, ætas procedens, præstat incrementum: quò enim amplius viuimus, eò magis exsiccamur, vt ait Gal. 1. *de Tuenda valetud. cap. 1.* ita etiam frigemus, *ibidem, & 2. de temper. cap. 2.* Et quod de temperamento dicitur, verum etiã de conditione fortunæ est, siue de affectu tristitiæ, qui ex conditione fortunæ oritur: & de animi habitu. Idcirco conspirantibus temperamento, conditione fortunæ, & vitæ genere in tristitiam, etiam si moderatam, & non longe à mediocritate lætitiæ honestam, oportet interponere iocos, & hilaritates; honestas tamen, pro indigentia naturæ, quæ recreatur: ita enim latens incrementum temperamenti, habitúsque & fortunæ, imminuetur, & homo semper in conue-

menti naturæ suæ mediocritate conseruabitur. Horatius *lib. 4. Carminum, Ode 12. in fine.*

*Misce stultitiam consiliis breuem :
Dulce est desipere in loco.*

Multi dum pertinacius omnem animi hilaritatem diffugerunt , in tantam deinceps melancholiam deuenere , vt ad eius medelam ex Aristotele *cap. ult. 7. Ethic.* intemperatissimi deinceps efficerentur , & qui iuuenes modesti extiterant , senes facti , ob tristitiæ excessum , in omne vitium , & dissolutionem proruperunt ; vt etiam de Salomone legimus : Oportet itaque stas animi laxationes , & recreationes habere , vt semper eadem mediocritas retineatur : etiam in senectute. Vnde Plato *in 2. de legibus* , senibus , certis temporibus ebrietatem permittit. *Ab ebrietate* (inquit Plato) *& vini repletione* , iuuenes omnino abstineant ; sed cum ad *quadragessimam* peruenierint , tunc in conuiujs liberius discumbentes , cum alijs Deos , tum Dionysium , ad sacra ferunt , & ludos inuocent , qui hominibus vinum , quas

remedium aduersus senectutis duritiem, est largitus, ut reiuuescere videamur; & moestitia nos obliuio capiat, ipsaque affectio animi, sicut ferrum in igne, ex duritie in molliorem deducta, flexibilior fiat.

Quod si adhuc magis procedat in frigiditatem & tristitiam animal, tum calidioribus adhuc remediis opus est; & cibus, pro morbi proportione, calefacientibus, & motibus.

Ex perturbationibus autem animi; iuuabit, in voluptatem, quæ calorem explicando, ipsum iuuat, in cupiditatemque aliquam, & in Iræ descendere; ea tamen ratione, ut combustio præcaueatur. Hæ vero inducuntur, non perpetuò, sed statis quibusdam temporibus: secus enim, morbum curaremus, deterioribus forsitan morbis. Interim verò, quoad tristitiam, quæ ipsius remedia assignauimus supra in cap. de tristitia retineantur.

Ex dictis, pro Corollario, moneo iuuenes illos, quos virtutis cura, & amor vrget, ne dum viam eius arduam subeunt, sub specie boni, omnem penitus hilaritatem abiiciant: Habet autem id ipsorum ætas, ut in quamuis

partem sese vertant, nimij sint. At vero dum omni hilaritati vale dicunt, quousque calor ætatis perseverat, se quidem sustinent, sed illo declinante, tantæ tristitiæ habitum se contraxisse sentiunt, vt præ tædio sæpè in omnem voluptatem se producant, quemadmodum iam de Salomone diximus; & de Phaurino Philosopho etiam legimus.

C A P V T VI.

Contrariè dispositi homines, contrario modo curantur. Debent autem ipsi quoque vitam temperamento & naturali propensione convenientem eligere, eousque vim sibi faciendo, quousque intra honestatis limites se constituent, si naturalis propensio nimium à medio deflecteret. Quamobrem qui calore excedunt, vitæ potiùs actuosæ dent se, & ciuili, quam inspectrici, solitariæque: viuus enim & actuosus est ignis: subeant itaque Rempublicam, si fortunæ conditio permittit; sin minus, arma tra-

ſtent, vel aliquam aliam negotioſam
 vitam ſequantur : ex ſtudiis, antiqui-
 tatis, oratoriæ; modò Iuris-prudentiæ
 exercendæ apti ſunt; plena enim con-
 tentionis, vtilitatisque & cuiuſdam po-
 tentiæ vita, eiufmodi eſt electa vita. Si
 conditio, fortunæ reſiſtit, tum ſæpe ex
 eiufmodi contrario momento, in prio-
 ri mediocritate homo perſiſtit : Verbi
 gratia: Si res anguſta domi, familiaq;
 oneroſa ſit, animus enim, quem plus
 iuſto, temporis tractu, extolleret calor
 præualens, & ſumpta perſona, immi-
 nuit, & contrahit ſubtriſtis difficultas;
 & ita animus in mediocritate conti-
 netur. Sed ſi etiam cum reliquis con-
 ditio fortunæ conſpiret, tum opus eſt,
 certis quibuſdam diebus, contrariis re-
 mediis animum contemperare. Triſtis
 ergo aliqua meditatio vel alienæ miſe-
 riæ, vel ſui- ipſius periculi, poſt ali-
 quos, quosque dies ſpontè ſuſcipiatur:
 contrahitur enim ita ad iuſtam medio-
 critatem, animus nimium effuſus, vel
 concitatus : Vel omnimoda quies ſin-
 gula hebdomada, vel mente, vel die,
 prout opus fuerit, ineatur. Quies enim
 refrigerat : atque ſuperiùs diximus, Se-
 limum,

limum, Turcarum Imperatorem, hau-
stu cuiusdam radicis, animum ab omni
cogitatione abalienare solitum fuisse :
Ea vero quies , animum immodicè
concitatum , ad quandam mediocrita-
tem, & moderationem reducendo, so-
labatur , & recreabat. Qui verò nullâ
moderatione , nullisque habenis adhi-
bitis , animo liberum excursus ad se-
cundum , & imperturbatum fortunæ
defluxum permittunt , his animus im-
modicè tandem concitatur , ex inten-
sioneque incenditur ; vnde vel in hu-
morum aduersionem perueniunt , vel
ob desideriorum ex desideriis inces-
santem multiplicationem, cogitatione
defatigati , cordeque incensi, in ratio-
nis , vel imaginationis , vel memoriæ
læsionem miserè delabuntur: cor enim
immodicè calidum in cerebrum (hoc
est enim organum immediatum di-
ctarum facultatum) imbecille agens,
frequenter ipsum peruertit , vt Aui-
cennas docet ; & nos comperimus pro-
ximè, exemplo nobilis mulieris, cordis
natura calidi , cerebrique imbecillis ;
quæ cum ob indulgentiam mariti ni-
miam , nihil nunquam frustra concu-

puiffet in ætatis flore, atque in gaudiorum cumulo, in morbofam melancholiam primò calidam, deinceps frigidam, & omnino meticulofam incidit, cum fumma omnium admiratione: Cum tamen ego contrà, admirandum existimem, fi, qui omnia fecunda experti, cupiditatem iactationi impotenti animum permiferint, nunquam in aliquam eiusmodi affectionem deueniant. Caligulæ enim, & Neronis, & Heliogabali fœditates quis non cum aliquo furore coniunctas reputet? Audiant igitur fælices fortunâ homines naturâque calidi, & habitu fimiles; Memores fint adhibendi certis temporibus remedia, per contraria momenta, vel fcilicet triftis meditationis, vel quietis omnimodæ, vel rei alterius, potentis animum emollire, fi concitatus fuerit, & diffoluere; fi vero fuerit effufus, ipfum valentis contrahere iuuabit hos igitur triftitia aliquando, & timor, commiferatioque, cibi refrigerantes; motus molles, & quietes, pro contrariæ propenfionis, vehementia adhibita.

CAPVT VII.

Actiuas iam qualitates prosequuti sumus, quæ plus considerationis requirunt, plusque momenti habent. Modò Crassitiem, Turbulentiamque in medium adducamus, & Copiam, quæ qualitates passiuæ videntur.

Crassities igitur, dicit quandam corporis, partiumque eius inspissationem, quæ in pluribus mistis fit ex admistione maiori elementorum crassiorum: verbi gratia, terrearum portionum cum aqueis; aquearum portionum item, & terrearum cum aërcis. Quæ admistio, vel probè temperata est, vel adhuc inçondita: hac postremâ mistione, nascitur Turbulentia; ideoque turbidas aquas, multum sedimenti deponere videmus, tanquam, quæ non admodum vnitas habeant terreas portiones cum aqueis: Cùm verò probè temperata fuerit, nihil prohibet, quin cum Crassitie iungi possit Nitiditas: vt in concretionem ex aqua, & terreis portionibus admistis, oritur gelu translucida.

cidum : Et aërea , terreaque cum digesta fuerint , & probè compacta , si adurantur , lucidissimam flammam emittunt : sin minus , fumum atrum pro flamma producunt. Perfecta verò commistio fit , vel à prævalente frigore , vel à prædominante calore : à frigore , vt vitrea pituita ; à calore , vt gypsea ; sed in Sanis , & benè constitutis animalibus , calor præpoilet ; vt ab hoc , fieri vnionem necessarium sit. Turbulentia vero fit , vel post humorum incensionem , vel ante eam. Quæ ante incensionem efficitur , nascitur vel ob vnionem malè terminatam , terrei , & aquei ; vel terrei , & aërei ; vel aquei & aërei : & aqua , vel humor , esse perseverat ; vel halitus factus est : nam halitus , vt Gal. definit *primo de causis sympt. cap. 6.* est humorum attenuatus : Cum ergo aqua , humor esse permanet , parum Atrâ Bilem promouet , sed potius pituitam ; Sed cum halitus euadit , tum Atrâ Bilem frigidam producit ; quia est flatuosa , vt superius vidimus. Terrei , & aërei admistio ante incensionem , parum turbulentix adhibet : quoad mores autem , ratione

aëreæ portionis, celer homo est in cupiditates, sed imbecillis: nam aërea portio nisi à terrea commistione roboretur, facilè in suis conatibus dissolvitur. Ob terram vero, est piger admodum, neque in motus se rapere, nisi multa cum difficultate potest: ita ut huiusmodi homo, multa commentetur animo, multa desideret, illustresque actiones, & præclaras animo verset, sed in eas nunquam descendat, ob debilitatem aëreæ portionis mouentis, & ob resistantiam terreæ. Huius itaque Turbulentiæ remedia breuiter tangamus, quæ quoniam à duabus causis pendet, ab imminuto calore, & à nimia materiæ crassitie, quam is digerere nequit; duo scopi habendi sunt; ut calor augeatur, & materia extenuetur sin minus vtrumque possimus, alterum saltem ex his consequi studeamus. Quare cibos crassos remoueamus, & difficilis concoctionis; motus adhibeamus, circumstantiis tamen temporis, & loci, & modi seruatis, ut flatus dissoluamus, & humores crassiores extenuentur, halitusque facti, per cutem transpirent. Et quoniam dissol-

lutio flatus, & expulsio, per calorem fit, qui etiam poros cutis aperit, ideò inter affectus animi, summopere Lætitiâ prodest, in qua diffunditur calor, & diffusionem, explicationemque & veluti quadam euentatione, augetur: Tristitia è contra, cum calor in cor confluat, partes ceteræ frigescent, flatusque calorem sequentes, versus præcordia mouentur; vnde partes vicinas, ceu diaphragma, & similes opprimunt, & offendunt. Aër quoque clarus, & tenuis prodest: cum enim humores, eatenus quoad mores, disponant, quatenus spiritus, & immediatum appetitus interioris sensitiui organum, afficiunt; spiritus, si à turbidis humoribus offendantur, ab aëre claro recreantur. Prodest etiam ira, dum combustionis periculum non immineat. Turbulentiæ autem per incensionem obsistitur, incensionem omnem declinando: quam ob rem ira, vehemens cupiditas, & amor, vehemens motus, calidiores cibi, & eiusmodi reliqua sunt abiicienda. Alio modo occurritur, materiam moderando, ne adeo sit in incendium prona. Alio modo, feruorem caloris

imminendo : quod, animi compositione, vel contrariis affectibus interponendis consequemur.

Et iam quoque constat, quomodo Crassitie resistamus, & medeamur : ex his enim quæ de turbulentia ante incensionem, diximus, possunt proximè deduci.

Per contrariam itaque rationem, patebit quoque quomodo nimiam tenuitatem repellamus.

Nimia vero Copia ex causarum dictarum aliqua, vel pluribus coniunctis, oritur : vt si eas excludamus, contrariasque illis accersamus, necessario quoque nimietas cessabit. Sitque tandem finis impositus huic tractationi. De Atra Bile quoad mores, in qua, si quid boni diximus, Deo gratiæ habeantur, omne enim bonum à Patre Luminum: si verò quid mali, id omne imbecillitati meæ adscribatur. Sit laus Deo, & Beatæ semper Virgini in sæculorum sæcula. Amen. 1597. die 13. Martij.

Censura Operis vniuersi.

QUæ tam multa de curandis Tristitia, Timore, Iraque diximus, ea omnia transferenda sunt in Librum Curatorium, in quo omnium ægritudinum animi, medela describitur. Interim verò nos hîc, calamo excursum permisimus, ne abortum faceret Mens, eorum, quæ tum ob materiæ occasionem incalescens parturiebat; fateor enim, parum apposito loco in præsentia collocauisse, & remediorum doctrinam, quæ breuitatem exigit, nimium protraxisse.

Censura in Cap. de Tristitia & de Timore.

DVplex remediorum via exponitur, nempe per Deriuationem, & per Expulsionem ob actionem contrariam. Sed reputo præstantiorem, & aptiorem esse curam, si tenuis adeò diuisio abiiciatur: dicaturque in vniuersum, Curam in eo consistere, vt Causæ Coniunctæ abiiciantur, vel Emanans,
vel

vel Formalis, vel Materialis: & deinceps, modi earum tollendarum absque alia diuisione Deriuationis, & Expulsionis exponantur.

In Cap. de Timore.

CAusæ Emanantis caput, parum distinctè expositum est. Dicendum itaq; erat hoc pacto, Causa Emanans Timoris, est Expectatio mali, cui, nos, impares reputamus: nam, vt antea dixeramus, si malum impendens, cum aduenerit, à nobis expulsum, superatumque iri confidimus, illud contemnimus, & pro timore, audacia succedit. Ex tribus itaque, causa Timoris integratur, ex Expectatione; ex Malo: & ex Credita Imparitate: Remedia, triplicem habent, ex contrariis capitibus, originem, quæ singula percurramus: Expectationi igitur opponitur prudentia mali præcauendi, offensionumque euitandarum, & vitæ institutio in id conspirans: quam partem Seneca obseruandis præceptis instituit *epist.* 14. quam quisque adire potest. Interim

tamen summa eorum, quæ dicit, his præceptis continetur. Sapiens nunquam potentium iram prouocabit, imo declinabit, non secus quam in nauigando procellam. Secundò Sapiens potentiam nocituram vitat, hoc primum cauens, ne vitare videatur: pars enim securitatis, & in hoc est, non ex professo eam fugere, quia quæ quis fugit damnat. Tertiò, circumspicendum nobis est, quomodo à Vulgo tuti esse possimus: primùm nihil inde concupiscamus, vnderixæ e inter competitores; deinde nihil habeamus, quod cum magno emolumento insidiantis eripi possit: Tria vitare oportet ad Securitatem; Odium, inuidiam, & Contemptum. Difficile autem temperamentum est; nam in Contemptum, nos Inuidiæ timor facilè transfert, vt dum calcare nolumus, videamur posse calcari. Multis autem timendi causam, posse timeri attulit: vndique nos reducamus, Non minus contemni, quam suspici nocet. Malo autem; opponitur opinionis constitutio, qualem ibi scripsimus. Imparitatem autem dissuadet,

instrumentorum, & peritiæ, mala expellendi, instructio: Cætera (vt ibi exposuimus) teneantur,

F I N I S.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

HÆc de Differentiis , Causis & Remediis Bilis Atræ , quandiu ferè intra naturæ limites consistit moresque effingere potest. Illius autem tractatio vbi statum illum naturalem excessit, Petatur ex Doctissimo Bartholomæi perdulcis de Morbis Animi libello , qui omnia quæ ex illa , prodeunt Symptomata , Medico , id est suo exquisitoque more persequitur.



Extrait du Priuilegé du Roy.

PAR grace & Priuilege du Roy, il est permis à NICOLAS & JEAN DE LA COSTE, Maistres Imprimeurs, & Marchands Libraires à Paris, d'imprimer & mettre en vente vn Liure intitulé, *De Atra Bile quoad mores, Composé par Scipio Claramontius Docteur en Medecine, & Medecin de sa Sainteté.* Faisant tres expresses deffenses à tous Libraires & Imprimeurs, ou autres de nos subiects, de quelque qualité & condition qu'ils soient, d'imprimer, ou faire imprimer ledit Liure, le vendre, faire vendre ny debiter par nostre Royaume durant le temps & espace de sept ans, à commencer du iour qu'il sera acheué d'imprimer, si ce n'est de ceux desdits exposans, à peine de quinze cens liures d'amende, confiscation des Exemplaires, & de tous despens, dommages & interests: Comme il appert plus au long par les Lettres de Priuilege. DONNÉ à Paris le vingt-huictiesme iour de Decembre l'an de Grace mil six cens quarante. Et de nostre Regne le trente-vniesme.

Par le Roy en son Conseil.

DENISOT.

Et scellé du grand Seau de cire jaune.

Acheué d'imprimer le 7. Ianuier 1641.

